Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tobias Richter

De Nuptiis Liber Singularis : Continens Primaria, Qvae Facivnt Ad Conceptvm Nvptiarvm Rite Fingendvm, Imprimis Vero Gradvvm Compvtationis Principia : Nec Non Cavtelas, A Sacerdotibvs In Proclamatione Et Ipsa Benedictione Omnibvsqve Ritibvs Ecclesiasticis Probe Servandas

Lipsiae: Apvd Wolfg. Heinr. Schoenermarck, 1744

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ecl VI. 5.
62

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0001
DFG

GR. HERZOGL.
MECKLENBURG
SCHWERIN.
REGIERUNGS.
BIBLIOTHEK

Ed VI 5
60

Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1727764617/phys_0002
DFG

Q. D. B. V.

DE

NUPTIIS

LIBER SINGULARIS,

CONTINENS

PRIMARIA, QVAE FACIVNT AD CONCEPTVM NVPTIARVM RITE FINGENDVM, IMPRIMIS VERO GRADVVM COMPVTATIONIS PRINCIPIA,

NEC NON

CAVTELAS, A SACERDOTIBVS IN PROCLAMATIONE ET IPSA BENEDICTIONE OMNIBVSQVE RITIBVS ECCLESIASTICIS PROBE SERVANDAS,

COMPOSITVS

A

M. JO. TOBIA RICHTERO,

J. V. C.

LIPSIAE

APVD WOLFG. HEINR. SCHOENERMARCK.

MDCCXLIV.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0003

DFG

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO

DOMINO
CHRIST. GOTTLIEB BEHRNAUERO

JCTO, POTENTISSIMO SARMATARVM REGI, AC SERENISSIMO SAXONVM ELECTORI A CONSILIIS COMMISSIONVM, VT ET ILLVSTRISSIMO S. R. I. COMITI A BRÜHL, SACRAE POLONIARVM MAIESTATIS SVPREMO STATVS MINISTRO &c. A CONSILIIS COMITATVS PFOERTENSIS.

PATRONO AC FAVTORI MEO,
OMNI PIETATIS AFFECTV
SVSPICIENDO.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0005
DFG

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

ATQVE CONSULTISSIMO

DOMINO

DOMINO

CHRIST. GOTTLEB BERNAUERO

VIR
EXCELLENTISSIME
AMPLISSIME ATQVE CONSVLTISSIME,
PATRONE
AC
FAVTOR MAXIME
COLENDE!

Vix composueram levem huncce li-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0007
DFG

bellum, quo Tibi Vir Excellentissime! eundem consecrare studebam. Scio sane, quo in me semper fueris animo, quave benevolentia me ab ineunte ætate complexus sis. Nam quoad longissime mens mea potest respicere spatium præteriti temporis, Te mihi

mihi video principem, & ad ingrediendam ſtudiorum meorum rationem, & ad omnem felicitatem ſtabiliendam extitiſſe. Repetis inde proprio quodam Tuo jure, omnia quæ habeo; quæque afferre poſſum, a me expoſcis. Jam, cum nihil ſuppetatur,

quo cultum in Te meum
satis probare queam, hac
ipsa, de Nuptiis, quali-
cunque conscripta tra-
ctatione, quam Nomini
Tuo Celeberrimo dica-
tam cupio, talem me
præsto, qualem innume-
ra Tua in me beneficia
me volunt, id est gra-
tum. Cumque gratus
ani-

animus non ille tantum judicetur, qui omnia reddit, sed & inde pleniſſime cognoſcatur, quod, quoad fieri poteſt, rependat; poſterius ego amplector, qui, utut poſſum, deditiſſimi pectoris ſignum pono. Fateor equidem, quod hoc opuſculum Tuæ erudi-

tioni valde sit disparˌ minusque congruum. At respicias quæso magis affectum, quo illud affero, quam rem quæ affertur. Ita enim voti mei compos nihilominus officio nisi plene, attamen pro virili satisfeciisse videor. Quod reliquum est, Deum pre-

precor, ut Te conſervet in reipublicæ emolumentum: in Splendidiſſimæ Gentis & proſapiæ imprimis BEHRNAUERIANAE, cujus & Senior & fulcrum jam es, florem perennem: in clientum tandem Tuorum ſolatium. Me vero ut

&

& porro in tutelam curamque receptum habeas, humaniſſime rogo; qui permaneo

NOMINIS TVI
EXCELLENTISSIMI,

Lipſiæ Kal. Februarii
A. O. R. MDCCXLIV.

affiduus cultor
JO. TOBIAS RICHTER.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0014
DFG

BENEVOLO LECTORI
OFFICIVM ET SALVTEM!

Paginas sequentes publici juris facturus hanc Tibi B. L. reddo rationem: brevibus conceptum de Nuptiis & imprimis de Graduum computatione, ideo exposui, quo amici SS. Theologiæ studiosi, & alii forsan, qui sua in-

intereſſe credunt, ad manus habeant ſynopſin, ex qua primaria ſaltem principia haurire queant. Etenim illi, qui ſacris inſervire ſecum conſtituit, hujus materiæ cognitio tam utilis quam neceſſaria eſt; eoque hæc minus in collegiis Theologorum ſatis poteſt explanari, quo pluribus ambagibus ipſa ſe ſiſtit. Dudum quidem hæſitavi, priusquam evulgare has meas volui cogitationes, veritus num dignæ forent, quæ ab eruditis legantur; locum namque tenent primitiarum, quæ

quæ utplurimum absolutæ numeris omnibus non sunt. At feci periculum spe fretus, fore, ut ex fine, qui exquisiti magnique operis non fuit, intentio saltem, aqua judicetur. Nihil novi proferre mens est; Omnia enim quæ hac de re dici unquam possunt, plene jamjam exhausta & multoties ab innumeris iisque me longe illustrioribus conscripta sunt. Quæ eum ita sint, non nisi in id elaborare studui, quo colligere utiliora nuptiarum præcepta eademque breviter commodeque in

me-

medium proferre potuerim. Accipias igitur levem hanc operam tanto favore, quanto inserviendi studio eam ego confeci. Patiaris, rogo, ut de Tua in me voluntate lætar, licet labor desiderio non in omnibus respondeat. Quod si feceris, eveniet forsan ut imposterum, viribus, Deo favente, auctis, magis Tibi satisfacere valeam. Dabam Lipsiæ ipsis Kalendis Februarii A. O. R.

MDCCXLIV.

* * *

DE

DE NUPTIIS
LIBER SINGULARIS

CAPVT I.
GENERALIA DE MATRIMONIO.

§. I.

utilitas ex matrimonio in homines redundans.

Eximii sunt in societate humana fructus matrimoniorum. Primum inde resultat legitima nativitas. a) Hanc sequitur educatio, qua nihil nobis utilius. b) Ipsi matrimonium contrahentes habent, quod de mutuo auxilio aliisque officiis haud vulgaribus invicem glori-

A entur.

entur. Finis denique, quem Deus intendit, ita egregie obtinet; Societas namque humana laudabiliter conservatur, complexus contra furtivi & vagæ libidines spernuntur.

a) Quæ, quantum cuivis conducat, obscurum plane non est. Ipse Deus excludebat spurios a communione domini. *Deut. c. 23. v. 2.*

b) Hæc ita certis incumbit personis, quo nobis res maximi confertur momenti. Fusius hac de re vid. Excell. *Aug. Frider. Mülleri* Natur- und Völker-Recht. *c. 12. §. 4.*

§. II.

Leges tam divinæ quam humanæ id firmant.

Ut vero hæc in homines utilitas eo sit certior, conjugia ineunda non solum ex naturali obligatione, sed & expressis legibus divinis vim atque normam acceperunt. *a)* Nec desunt humanæ dispositiones individuam hanc societatem firmantes, fornicationem autem, stuprum & id genus alia, singulari pœna coërcentes.

a) Ideo tamen statuendum non est, conjugium simpliciter esse præceptum, quo nec verba benedictionis divina tendunt:

dunt: Creſcite & multiplicamini. Ergo in coelibatu manere prohibitum non eſt, licet aliud de iis, qui rebus publicis præſunt, dicendum videatur *Becmann in Polit. Parallel. c. 7. §. 1.*

§. III.

Veteres jam magni fecerunt matrimonia.

Quanti ergo ſint æſtimanda matrimonia, vetuſtiſſimæ gentes jam ſuo exemplo docuerunt. De Judæis hac in cauſa teſtimonium ſacra biblia paſſim ferunt, eaque de re imprimis egit Seldenus. a) Quod a Græcis hac in parte obſervatum fuit, multis exemplis facillimum eſt probatu. b) De Romanis id allegaſſe ſufficiat, quod ſingularem orbitatis ſtatuerint pœnam. c) Neque noſtri Germaniæ majores conjugii vigorem contemnendum duxerunt, quibus ſola vox Ehe Legis præſtitit ſignificatum. d)

a) in ſingulari Tractatu, quem *Uxorem Ebraicam* inſcripſit. Continetur hic liber in eius Operibus *Vol. II.*

b) Sacroſancta matrimonii foedera Græcorum paſſim prædicant poëtæ. Imo publica auctoritate contemtores coniugii perhibentur mulctati. vid. *Chriſtian. Bruningii Compend. Antiquit. Græc. c. 6. §. 3.*

qui ibidem citat Potteri Archeol. Græc. l ib IV. c. 11. *jung. Vit. Epaminondæ c.* 5. & 10.

c) Vid. *B. Heineccii Comment. ad L. Jul. & Pap. Popp. Lib. II. c.* 21. *ſ.* 3.

d) Conf. *Beyeri diſſ. de diſpenſatione circa matrimon.* De veteribus Chriſtianis vid. *Hildebrand de nuptiis veterum chriſtianorum.*

§. IV.

Nos eadem ut negotia gravia colimus.

Neque noſtræ respublicæ poſſunt, quin hac in parte veterum veſtigia ſequantur, cum id cadat in certiſſimæ utilitatis rationem totius ſocietatis humanæ. a) Inde fit, ut & hodie matrimonia apud omnes fere, ne dicam ut ſacramentum, ut negotium tamen valde ſerium graveque immo indiſſolubile colatur.

a) conf. *h. c. ſ.* 1.

§. V.

Quibus Legibus matrimonia ſint dijudicanda.

Præſcripta denique forma eſt, qua utendum, ſi matrimonium rite initum dici velit. Quænam autem Leges huc ſpectent, eo magis in quæſtionem venit, quo major Legum farrago in tota Germania & apud Saxones imprimis

primis occurrit; ubi ita tenendum arbitror: Leges divinas revelatas æque ac naturales primum hic esse servandas, quæ nullam hominum neque dubitationem neque mutationem admittunt. Quibus cessantibus juri demum humano erit locus, atque tunc statuta patria pariter locorum singularia ac provincialia obtinebunt. Cumque ad extraneas seu aliunde receptas Leges perveniatur, quin Jus Canonicum Juri Romanorum Civili anteponatur, nullus dubito, siquidem illud observantia teste a) in matrimonii causa præcipue receptum intelligimus

a) conf. *Stryk. in Annotat. succinct. ad Instit. ibique præmiss. Præcognit. Juris §.* 14.

§. VI.

An in terris protestantium solæ pontificum sanctiones matrimoniis normam præscribant, eatenus tantum dubitatur, quatenus illæ religionis nostræ principiis adversantur. Quibus autem in casibus ipsa fori consuetudo hos Canones speciatim

Et pontificum jus normam quodammodo dat matrimoniis protestantium.

excludat vel omittat, id infra qualibet obveniente occasione fusius docebitur.

§. VII.

Ut modum allegandi Leges intelligamus, necesse est. Cum tamen Juris Canonici, & in subsidium Juris Romani, in causis ad matrimonium spectantibus decidendis, ratio omnino habeatur, operæ pretium fore existimo, allegationes harum Legum obscure satis usitatas paulo explicatas reddere, quo illi, quorum interest, rem eo minus percipere impediantur, id quod in fine hujus libelli effeci.

§. VIII.

Ordo materiam nuptiarum tractandi. Jam de ordine materiam nuptiarum pertractandi. Non sequor G. G. Titium a) qui distinctionem instituit inter tractatus germanice: Anwerbung, & pactum de sponsalibus germanice: Das Jawort, & ipsa sponsalia: Die Verlöbnisse, & denique nuptias s. conjugium: Heyrath oder Ehe. b) Tractatus enim in effectu nihil sunt: pactum de sponsalibus autem & ipsa sponsalia unum fere atque

que idem operantur. Nihil itaque supereſt, quam ut ſponſalium & deinde nuptiarum natura exponatur.

a) In der Probe des deutſchen geiſtlichen Rechts *art.* von Verlöbniſſen *§.6.*

b) Licet experientia teſte hodienum per hos quatuor gradus ad matrimonium perveniatur. conf. *Stryk. uſ. mod. ad Tit. de ſponſalibus §.* 1. Alia enim omnino de effectu horum omnium quæſtio eſt.

§. IX.

Quam viam ſecuturi id agere conſtituimus ut *Cap. II. de ſponſalibus. Cap. III. de Nuptiis in ſpecie. Cap. IV. de qualitate nuptias contrahentium. Cap. V. de cauſis nuptias prohibendi. Cap. VI. de effectu nuptiarum* pauca dicamus. *Ordo capitum.*

Caput II.

DE SPONSALIBUS.

§. I.

Definitio sponsalium. Sponsalia a) sunt *pactum de ineundo matrimonio.* Probat hanc definitionem natura rei, neque deficit auctoritas legum. b)

a) A spondendo dicta, quia veteribus moris erat stipulari & spondere sibi uxores futuras, sine tamen solenni verborum obligatione *L.* 2. & 4. *ff. de sponsal.* unde & vox *sponsi sponsæque* enata *L.* 3. *ff. eodem.*

b) *in L.* 1. *ff. de sponsal.* vocantur *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Jure Canon. *promissa futurarum nuptiarum* dicuntur. *c.* 3. *C.* 30. *qu.* 5.

§. II.

Requirunt consensum I. certum II. liberum. Pacta, inde & Sponsalia requirunt consensum eorum, quorum interest. Consensus sit I) *certus*, non ambiguus; unde si v. c. filia responderit: ists auch Fragens werth? Sponsalia haud esse perfecta dicendum est. a) II) *liber*, tam ratio-

tione intellectus quam voluntatis, ut factum intelligant & velint quod intellexerunt; hinc intellectui obeſt error eſſentialis: voluntati autem metus juſtus. b)

a) conf. *c.* 15. & 23. *X. de ſponſal.* Neque conſenſus elicitur ex verbis jocoſis aut ironicis; quippe jocans non vult quod dicit. *Maſcard. de Probationibus Vol. II. Concl.* 609. *n.* 15.

b) *c.* 26. *X. de Sponſal. L.* 15. *ff. de iurisdict. c.* 14. 15. *X. de Sponſal. L.* 116. *de Reg. Jur.* an autem conſenſus expreſſus ſit neceſſarius quæritur? Quod ego non requirerem; verus enim conſenſus eſſe debet: tacitus autem conſenſus quoque eſt verus, & in filia potiſſimum tacita paternæ voluntatis ſufficit approbatio *L.* 7. *L.* 12. *ff. de Sponſal.* Imo nec ab ipſis partibus interponi debet, ſed quocunque modo alias declaratur, ita & in ſponſalibus adeoque per procuratorem recte admittitur. *L.* 4. 7. & *final. ff. de ſponſalibus.*

§. III.

Conſentiant autem 1) *perſonæ contrahentes*, quarum cauſa præcipue agitur; partibus enim invitis nihil inter

Conſentium autem I. perſonæ contrahentes II. earum parentes.

inter easdem actum intelligitur. 2) *parentes in quorum poteſtate illæ ſunt*, idque jure canonico & civili. a) Neque nocet, ſive præcedens ſive concomitans ſive ſubſequens ſit conſenſus, licet poſteriori caſu ab eo demum tempore ſponſalia vel ipſæ etiam nuptiæ robur nanciſcantur, quo parentes acceſſere. b) Parentum conſenſus omiſſio ex naturali lege pietatem lædit: ex canonum & civilibus diſpoſitionibus nullitatem parit. Eodem modo & iure Saxonico ſponſalia ſunt nulla, conceſſa inſuper parentibus licentia exheredandi liberos matrimonium ipſis invitis conſummantes. c) Qui parentibus ſunt orbati, avorum confirmatione egent. d) Furioſus pater vel mente captus equidem non conſentit, quia hujus nulla eſt voluntas; ejus tamen vices recte gerunt furioſi curator & de familia præſtantiores. e)

a) *c. 3. C. 30. qu. 5. pr. J. de Nupt. L. 25. ff. de Ritu nuptiar.*

b) *L. 13. ſ. 6. in f. ff. ad L. Jul. de adult.* In foro tamen ille ad tempus conventio-

ventionis retrotrahitur fingiturque in favorem matrimonii eum ab initio adfuisse ne litibus ansa præbeatur. conf. *Johann. Philippi Us. Pract. Institut. L.* 1. *Tit.* 10. *Ecl.* 60. *n.* 13.

c) **Churfürstl. Sächs. Kirchen-Ordnung** *Tit.* **von Ehe-Sachen §. von Ehe-Gelöbniß. Ehe-Ordnung** *Tit.* **von Ehe-Sachen.** *Punct. I. ff.* **Und da & ff. Würden.** *Carpz. Jurisprud. Eccles. Lib. II. def.* 54. ad dimidiam legitimæ partem vel etiam pro re nata in totum **Churfl. Sächs. Kirchen-Ordnung** *d. t. ff.* **Und da sie** ꝛc. Hæc vero exheredationis causa cessabit, si consistorium consensum supplevit; Sic enim non deficit.

d) **Ehe-Ordnung** *d. tit. pr. imo* ut avus consentiat quodammodo iure patriæ potestatis necesse est.

e) *pr. J. de nupt. L.* 40. *ff. de R. J. L.* 25. *C. de nuptiis. conf. L.* 28. *C. de Episcopal. audient.*

§. IV.

Matris consensum iure naturæ huc requiri, nemo in dubium vocabit, licet aliud statutum sit iure Civili & Canonico, quia liberos mater non habet in potestate. Sed Saxones naturalem

Matris consensus iure non Civili & Canonico, sed Saxonico & moribus necessarius est.

ralem obligationem secuti moribus sunt conformes, quam sententiam & in Germania apud protestantes usu receptam docet *B. Lüder Mencken.* a) Interim mater dissentiens auctoritati patris cedere tenetur: b) Utrum tamen audienda sit, si iustas habeat dissentiendi causas, vix ego dubitarem.

a) *Tract. Synopt. Institut. Tit. de Nupt.* §. 1. *de jure Saxonico conf. all.* Ehe-Ordn. *d. t.* quo certo, matri ius exheredandi competere æquali modo, quis non videt?

b) *Carpzov. Jurisprud. Eccl. L. II. def.* 54. *n.* 16. 1. *Cor.* 11. *v.* 3.

§. V.

Sponsalia de præsenti & de futuro, ex quorundam sententia.

Dividuntur Sponsalia vulgo in ea, quæ *de præsenti* & ea, quæ *de futuro* dicuntur, licet de genuino hujus distinctionis sensu inter omnes nondum constet. Neque tamen ex iure Romano deducitur, uti quidem *Ulrico Hubero* & paulo aliter *Lynckero* visum fuit. a) Sed ex solo iure Canonico ortum trahit, interpretatione nimirum scholasticorum, qua patrum antiquas dissensiones b) componere studebant.

a) *Hu-*

a) *Huberus Digreſſ. L. II. c. 7. ſqq.* provocans *ad L. 15. ff. de Condit. & Demonſtrat. & L. 30. ff. de R. J.* ibi. *Conſenſus facit nuptias non concubitus*, inde concludit, conſenſum purum, per verba præſentis temporis expreſſum, de jure civili eſſe matrimonium: appellari ſponſalia per uſum popularem; ſed diſtinguas inter pactum de matrimonio contrahendo, & inter matrimonium ipſum. Imo conſenſus matrimonialis & jure civili ſeparatim declaratur ſcil. per deductionem in domum licet de præſenti conſenſus jamiam præceſſerit, *L. 5. ff. de R. N. L. 24. C. de Nuptiis. Lynckerus in Annal. ad ff. tit. de ſponſal. th. 10.* eo ipſo dari de jure civili ſponſalia de præſenti, quod dentur pura; ſed deficit nexus.

b) Patrum diſſenſiones collegit *Gratianus in Cauſ. 27. qu. 2.* Etenim haud conveniebant patres, utrum ſponſalia poſſint diſſolvi? quod alii affirmabant, alii negabant, ad quas ſimilesque difficultates, quas collegit *Lombardus Lib. IV. diſt. 27.* enucleandas, ſcholaſtici hanc excogitarunt diſtinctionem *Franciſco Hotomanno de ſponſal. c. 6. teſte.* licet abuſi ſint juris ratione quæ habetur *in c. 1. C. 27. qu. 2.*

§. VI.

§. VI.

Ex mente canonum Ex mente Canonum ſponſalia de præſenti vocantur, ubi ab utraque parte conſenſus de præſenti, id eſt matrimonio adeoque vere matrimonialis interponitur: a) de futuro autem, ubi conſenſus partium declaratus ad matrimonium adhuc perficiendum, dirigitur. b)

a) conf. *c.* 9. 22. 31. 32. *X. de ſponſal. c.* 14. *X. de converſ. conjug. c.* 3. *X. de ſponſ. duorum.* Hæc ſponſalia ipſum conſtituere matrimonium, conſtat *ex all. text.* Aſt figuram ſponſalium ſupereſſe exiſtimandum eſt, quod deficiat cohabitatio, jura conjugum nondum locum habeant, nec ſolemnia eccleſiaſtica obſervata ſint.

b) conf. *c.* 3. *C.* 30. *qu.* 5. *c.* 2. *X. de ſponſal.*

§. VII.

Ex moribus & DD. proteſtantium opinione. Mores & Doctores proteſtantium *B. Lutheri* a) & *Martini Chemnitii* b) ſententiam ſecuti, c) iisdem terminis retentis, rem ita explicant: Ea de præſenti vocant, quæ ſimplici eoque puro conſenſu contracta: de futuro, ubi

ubi vel ſub conditione, vel quodammodo imperfecte conſenſerunt; quo igitur tractatus præparatorios, ſponſalia conditionata, & impuberum deſponſationes, minus tamen congrue, referre ſolent. d)

a) In libello **von Ehe-Sachen** *Tom. VI. Witteb. fol.* 260. *verb.* **gleich wie ſie auch ein lauter Narrenſpiel getrieben** ꝛc. ubi quidem hanc retinuit diſtinctionem, eidem tamen novam addidit interpretationem, a mente juris canonici plane diverſam.

b) qui in *Loc. Theol. de conjugio c.* 1. *p.* 197. *hanc Lutheri* ſententiam tanquam ab eccleſia receptam, fuſe explicavit, variaque κρίσεις ſponſalium, & de futuro & de præſenti, ſuppeditavit.

c) Licet ab initio offenſi conf. *Seckendorffius in Hiſt. Lutheraniſmi Lib. III. ſect.* 32. §. 126.

d) vid. *Schneidewinus in Comment. ad Inſt. Tit. de nupt. P.* 1. *n.* 5. 16. 32. *Joachimus a Beuſt. tr. de ſponſal. & Nupt. P.* 1. *ſſ.* 8. & 10. aliique, qui omnes tamen ægre a iuris Canonici principiis receſſuri, hoc modo *Lutherum* ſimul ſecuturi, confuſam mirifice effecerunt mixturam, dum aliam longe definitionem canonicæ

nicæ diſpoſitioni tribuerunt, hujus autem concluſiones propriæ opinioni falſo plane applicaverunt.

§. VIII.

Hujus diſtinctionis uſus hodiernus.

Poſt Concilium Tridentinum, a) plerisque in locis, ubi decretum illud eſt promulgatum, tota hæc diſtinctio uſum omnem amiſiſſe videtur, b) ſiquidem conſenſus de præſenti declaratio privatim & clandeſtine facta, nullius eſt momenti: coram parocho autem adhibitis teſtibus, expoſita, ipſum eſt matrimonium. Dantur ergo inter ipſos pontificios. c) hodie non niſi ſponſalia de futuro. In foris proteſtantium plus quidem termini valent re ipſa, multa tamen incongrue ad eosdem applicantur, quod egregie docuit *Boehmerus*. d)

a) *Seſſ. XXIV. de reform. matrim. c. 2.* ubi matrimonia clandeſtine contracta omnia irrita ſunt declarata, eaque ſola pro validis reputata, quæ coram parocho atque teſtibus celebrata.

b) vid. *Eſpen. in Jure Eccl. P. II. tit. 12. c. 5. n. 29. & 30. Barboſa ad c. 30. X. de*

de sponsal. n. 11. *Zoesius ad tit. X. de sponsal. n.* 22.

c) conf. *Engelius in Coll. Jur. Can. tit. de sponsal. §.* 1. *n.* 2.

d) *diss. de incongrua praxi doctrinæ, de sponsal. de futuro & de præsenti, in foris protestantium c.* 2. §. 1. *& sq.* In qua dissertatione quæ hactenus illustrata sunt, fusius pertractantur.

§. IX.

Dividuntur in publica & clandestina.

Dispescuntur adhæc sponsalia *in publica*, quæ palam & consensu parentum, a) vel, si parentes non sunt in vivis, in præsentia testium contracta; & in *clandestina*, quæ vel remotis arbitris testibusque celebrata; quam distinctionem & ius Civile & Canonicum tuetur. b) Utraque ergo valent, modo posteriora probari possint; plerorumque tamen locorum ordinationibus ecclesiasticis clandestina sunt nulla reddita, c) & iure Saxonico præcipue reprobata, d) neque igitur valere poterunt, si concubitus iis accesserit, licet mores contrarium ex eo malint, ut vitiatæ ita succurratur,

tur, quo tamen casu inviti parentes filiam in matrimonium collocare haud tenentur. e)

a) *arg. c. 3. X. qui matr. accus. Joh. Gerhard. Loc. de Conjug.* §. 144.

b) Integrum enim est partibus vel ita publice vel clandestine sponsalia inire. *L. 4. pr. L. 7. pr. L. 18. ff. h. t. Lauterbach. in Coll. Pandect. ad h. t. n. 11. c. 1. & 2. X. de clandest. desponsat.* Quæ vero ab aliis sine consensu parentum, præsentibus licet testibus celebrata tanquam clandestina adducuntur, referri huc nequeunt, quia nulla sunt.

c) *Stryk. Us. mod. Tit. de sponsal.* §. 6. *sqq.*

d) *Ord. Eccl. Tit.* von Ehe-Sachen, *rubr.* von Ehe-Gelöbnissen.

e) *Struv. Jurisprud. Rom. Germ. for. Lib. 1. Tit. 6.* §. 4. *ibique DD. allegati.*

§. X.

Item in pura & conditionata.

Ineuntur denique sponsalia vel *pure* id est simplici consensu, dilatis tantum solemnibus reliquis ipsum matrimonium constituentibus, vel *sub certa conditione*, qua non existente, nec sponsalia sunt. Illa interim simpli-

ſimpliciter ad conſummandum, hæc ad expectandum matrimonium obligant. a)

a) *Carpzov. Jurisprud. Eccl. Lib II. def.* 20. 21. 22. *Ziegler ad Lancell. Lib. II. Tit.* 12. §. 3. Recedere tamen a ſponſalibus conditionatis impune non licet, quia conditionata obligatio quoque eſt obligatio firmiter obſtringens. Id vero in dubium haud vocatur, quin conditioni renunciare poſſit ille, in cujus favorem ea adjecta eſt, idque vel expreſſe vel tacite v. gr. per concubitum ſubſecutum, licet concumbens proteſtatus fuerit de conditione non remittenda. *c.* 30. *X. de ſponſal.* Ne idem dicas de ſolo conatu cave *c. ult.* X. *de ſponſal. Carpzov. d. l. def.* 25. *&* 37. *Stryk. de diſſenſ. ſponſal. ſect.* 4. *c.* 1. §. 12. 13. *conf. præterea tot. tit. X. de condit. appoſ.*

§. XI.

Conditionem partes paciſci poſſunt honeſtam & poſſibilem, ubi res ſolum ab eventu dependet. a) Turpis contra conditio & impoſſibilis iure factoque talis, Romanorum Legibus vitiat Sponſalia. b) Canones autem diſtinctionem admittunt, ita, ut con-

Conditiones quæ adjiciuntur, Leges determinarunt.

ditio inhoneſta & impoſſibilis, quatenus matrimonium concernit v. c. ut prolis generatio evitetur, ſponſalibus noceat; quatenus vero ſubſtantiam coniugii minime attingit, ut puta: ſi furtum fiat, ſi ſtellæ numerentur, pro non adiecta habeatur. c) Hoc in favorem matrimonii ſtatutum & mores recipiunt, qvo ſic petulantiæ eorum qvi pudicitiæ ſexus imbecillis inſidias ſtruunt, frenum iniiciatur. d)

a) *c. 5. X. de Cond. appoſ.* Quod *Schneidewin. Comment. Inſt. de ſponſ. n. 36. in f. de conditione ad matrimonium pertinente* intelligit: peregrinam autem v. g. *Si Rex Daniæ vicerit Suecum*, pro non adjecta habet. Ego & ſic nulla ſponſalia eſſe cenſeo, ſi foemina dixerit: *illi, qui primus Doctor creabitur*, matrimonium promitto, quod, ut opinor minus recte aſſeruit *Schœpferus in Synopſi Juris Privat. Tit. de ſponſalibus n. 10.* Deficit enim ita conventio.

b) *L. 31. ff. de Obl. & Act. L. 31. ff. de Verb. Obl. L. 15. ff. de condit. inſtit.* Imo ratio hæc dari poteſt: partes ſuper ejusmodi conditione paciſcentes magis jocaſſe, quam ſerio conveniſſe cenſentur.

c) *c.*

c) *c. fin. X. de condit. appoſ.* Neque hæc diſpoſitio caret fundamento, ne ſcil. utilia per inutilia vitientur.

d) conf. *Carpzov. Jurisprud. Eccl. L. II. def. 23. Stryk. Uſ. mod. Tit. de ſponſalibus* §. 21.

§. XII.

An & quatenus arrhæ ſint ſponſalium ſignum?

Cum in ſponſalibus hodie utplurimum interveniant arrhæ, quæſtio oritur: an ſignum ſint ſponſalium? quod ſimpliciter haud negarem; Solent enim contractui probando confirmandoque addi. a) Et ipſe Pontifex *Clemens III.* ex eo, quod ſponſus deſponſationis annulo ſponſam ſubarrhaſſet, haud levem pro matrimonio ducit præſumtionem. b) An vero ex annulo dato ſolum præſumantur ſponſalia, alia omnino eſt quæſtio, nec eſt quod affirmetur, quia non ſtatim ex quolibet facto elicitur conſenſus. c)

a) *pr. J. de emt. & vend. L. 35. pr. ff. de contrab. emt.* Quicquid autem ad corroborandum additum eſt, id in illius infirmationem vergere non debet. *arg. L. 19. pr. ff. de Legat. I.*

b) *in c. 10. X. de ſentent. & re judic.* conf. *c. 10. X. de præſumt.*

c) Si enim ex ſolo annulo dijudicarentur ſponſalia, eodem forſan jure ex oſculo idem ſtatuendum foret. Interim nemo in annulis donandis nimium ſit liberalis, quoniam mores paſſim aliud jubent, & ex hoc ſaltem de matrimonio promiſſo lis facile poteſt moveri.

§. XIII.

e ſponſabus pluribus contractis.

Plura ſponſalia contrahere non licet ſub pœna infamiæ; a) ſi tamen contracta, præferuntur publica clandeſtinis, & priora poſterioribus; pura conditionatis, etiamſi ad infirmiora concubitus acceſſerit. b) Sin vero quædam ex pluribus benedictione ſacerdotali confirmata, reliquis omnibus anteponuntur. c)

a) *L. 1. ff. de his, qui not. infam.* quod adhuc hodie obſervandum ſtatuit *Brunnem. ad L. 1. all. n. 4.* cui tamen contrariatur *Titius* in der Probe des deutſchen geiſtl. Rechts *L. IV. art. 2. §. 56.* una cum moribus, quibus quis non facile infamis efficitur, niſi in ſententia vere infamia ſit expreſſa vid. *Stryk. de diſſenſ. ſponſal. ſect. 4. c. 5.* Licet autem infamia non

non ſequatur, aliam certe poenam pro re nata, modo leviorem, modo graviorem, pars peccans vix evitabit, uti & alteri propter injuriam illatam tenebitur. *Stryk d. tr. ſect.* 4. *c.* 4. §. 12.

b) alterius enim delictum jus meum infirmare nequit, modo pars partem tale quid committentem admittere velit *c.* 1. *c. ult. X. de ſponſ. duor.* jure illius ad ſatisfactionem ſalvo manente.

c) Sic enim ipſum adeſt matrimonium quod ſponſalia ſuperat. *alleg. c.* 1. *X. de ſponſ. duorum. Carpzov. Jurisprud. Eccl. Lib. II. def.* 66. *Ziegler. ad Lancell. Lib. II. tit.* 10. §. 17.

§. XIV.

Ita perfecta ſponſalia, ut pactum, firmiter obligant actionemque dant matrimonialem, a) ad ea, per ſacerdotalem benedictionem conſummanda, & ipſum coniugium celebrandum. Neque denegans conſummationem præſtando intereſſe ſtatim liberatur, ſed ad fidem datam ſervandam a iudice variis adigitur modis, b) invitus tamen non copulatur. c)

Sponſalia perfecta firmiter obligant.

a) Quam etiam condictionem ex decretalibus *Hahn. ad Weſenb. tit. de ſponſal. n. 6. Engelbr. ad ff. tit. eod. th. 4.* item *implorationem Conſiſtorii* vocant *Stryk. Uſ. mod. tit. de ſponſal. §. 3.*

b) Scilicet poena pecuniaria, imo & carcere. Quodſi tamen refractarius eo perduci plane non poſſit, injuncta poena & præſtatione illius, quod intereſt, demum poterit dimitti.

c) Tam enim gravis & ardua eſt cauſa, ut ſalva conſcientia cogi ad eam nemo queat, niſi copula carnalis interceſſerit ſponſalibus jam perfectis. *c. 30 X. de ſponſal.* quamvis nec hoc uſus fori ſæpe probet.

§. XV.

Neque recedere licet.

Non ergo alterutri deſponſatorum recedendi aut pœnitendi, pro lubitu datur facultas, licet recedens arrhæ iacturam facere velit. a) Verum aliud dicendum videtur, ſi uterque partium in diſceſſum conſentiat. b)

a) *arg. c. 1. X. de pact.* Neque *obſtat. c. 2. X. de ſponſal.* quippe quod mutuum diſſenſum & hanc cauſam reſpicit: ſi forte deterius inde contingat. Hic autem de poenitentia alterutrius, & ſine cauſa ſermo eſt. Jure civili reſilire licebat *L. 1. C. de ſponſal.*

ex

ex eo quoniam utplurimum nudo pacto quod actionem non dabat, ſponſalia celebrabantur. *L. 4. ff. de ſponſal.*

b) Neque deſiderarem conſiſtorii auctoritatem; vix enim reipublicæ intereſt. Sponſalia inſuper ſunt pactum; pactum autem eodem, quo conſtitutum eſt modo, recte finitur *L. 3 §. ff. de R. J.* quam vero praxis conſiſtoriorum variet, resque in utramque paginam diſputetur, egregie docuit *Stryk. in Tr. de diſſenſu ſponſal. Sect. 2. & 3.*

§. XVI.

Repudium ex iuſta cauſa poteſt impetrari.

Attamen repudium ſeu diſſolutio ſponſalium ex iuſta cauſa, parte etiam altera diſſentiente, impetrari poteſt. a) Quales autem & quot iuſtæ cauſæ hic intelligantur, inter DD. nondum convenit, dum alii plures, alii pauciores adducunt. b) Rem breviter expoſiturus cum *Titio* c) regulam conſtruo ſequentem: *Quotiescunque vel caſu vel culpa talis exoritur cauſa, quæ, ſi ab initio cognita fuiſſet, alteram partem a contrahendis ſponſalibus ſeduxiſſet, toties iuſta recedendi intentio iudicanda eſt.* d) Sit autem huius rei iudicium prudenti iudici relictum, cu-

ius auctoritas hic eo magis interveniat, quo minus ſine cauſæ cognitione intelligi poteſt, an preces actoris veritate nitantur.

a) Cum enim libera eſſe debeant matrimonia, renitentes monendi potius quam cogendi ſunt, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere, *c.* 17. *X. de ſponſ.* Ex quo conflatur & efficitur id, ut nemo ad hoc compellatur, ex quo tamen imminentem calamitatem juſte præſentit. *Carpz. Jurispr. Eccl. L. II. def.* 176. *n.* 8.

b) Quorum diverſæ ſententiæ paſſim occurrunt. conf. *Mev. P. IV. dec.* 43. *Carpz. Jurispr. Eccl. L. II. def.* 175. *ſqq. Stryk. de diſſenſu ſponſal. ſect.* 2. §. 41. *ſqq. Wernher. Obſervat. P. IV. Schœpfer. ad tit. de ſponſal. n.* 52. *ſqq.*

c) in der Probe des deutſchen geiſtl. Rechts *L. IV. art.* 1. §. 39.

d) Videntur enim ſub hac tacita conditione ad matrimonium ineundum partes ſe obligaſſe. *Stryk. de diſſ. ſponſ. ſect.* 2. §. 39. 40. *Bruckner. in Deciſ. matrimon. c.* 1. *n.* 76. Bene tamen arbitretur judex, an ſponſalia diſſolvi operæ pretium ſit, ne gravia hæc negotia eluſoria forſan reddantur.

§. XVII.

§. XVII.

Reſciſſis ſponſalibus, ſi quid arrhæ loco datum eſt, id iure Civili duplicatum reſtituit, qui cauſam dedit reſciſſioni. a) Quod ſi per neutrum factum ſit ut diſſoluta ſint ſponſalia, illud tanquam ſine cauſa præſtitum tantummodo reddi præcipitur. b) Hodie vero, ſi ſponſalia diſſolvuntur culpa deſponſatorum, arrhæ in pœnam illis auferuntur & conſiſtorio cedunt. c) Sin vitio aliunde contingente, a partibus repetuntur. d)

Arrha cui cedat, ſponſalibus reſciſſis.

a) *L.* 5. *C. de ſponſ.* modo alter-ante datas easdem ſponſalitias arrhas hanc cauſam non cognoverit; alias habebit quod ſibi imputet. *all. L.* 5.

b) *d. L.* 5. quo & pertinet *L.* 3. *C. de ſponſal.* qua, mortuo alterutro, ſuperſtes repetit arrhas, niſi ipſe nuptiis celebrandis fuerit impedimento. Attamen hanc *L.* 3. moribus non receptam, ſed morte interveniente arrhas accipientium manere teſtatur *Carpzov. P. III. Conſt.* 19. *def.* 3. *conf. Stryk. Uſ. mod. ad tit. de ſponſal.* §. 24.

c) Ratio *a Strykio all. loc.* in eo ponitur, quoniam id apud omnes Evangelicos principes ſtatusque imperii ita uſu ſervetur, imo

imo imputandum sit parti læsæ, quæ cum persona tam minus constante convenit.

d) *Carpz. Jurispr. Eccl. Lib. II. def.* 51. *n.* 6. 7. 12. 13.

§. XVIII.

Sponsalia interim non sunt de necessitate.

Restat ut paululum dispiciamus, an sponsalia sint necessitatis, an vero iure omitti possint. Et posterius amplector; solent enim tantum nuptias præcedere, nullaque Legum necessitate exiguntur. Faciunt huc magni nominis JCti, inter sponsalitium atque matrimonialem consensum discrimen ponentes, imo illum sub hoc contineri recte asserentes. a) Poterunt itaque partes sine ambagibus sacerdotem adire b) consensumque matrimonialem declaraturi, cæteris paribus ipsam consequi benedictionem.

a) Quod vel inde patet dum sacerdotalem benedictionem ad sponsalia illegitima accedentem superare legitime contracta censent. *vid. h. c. §. 13. not. c.*

b) Sed quæritur: *annon ex hoc ipso conventio præcedens seu pactum sponsalium colligi queat?* quod ego lubentius

nega-

negarem, quia plures sæpenumero eandem alunt intentionem, ideo tamen pactum perfectum inter eos esse asseri non potest. Imo quid si sponsalibus expresse a conjungendis contradicatur?

CAPVT III.

DE NUPTIIS.

§. I.

Definitio Nuptiarum.

Nuptiæ a) sunt *societas* b) *viri & mulieris individuam vitæ consuetudinem continens, ad mutuum adiutorium & generis humani propagationem legitime inita.* c)

a) Dictæ ab *obnubendo*, quod nova nupta pudoris gratia & in signum subjectionis se obnuberet & velaret *c. 7. & c. 8. C. 30. qu. 5. Genes. c. 24. v. 65.* Nuptiæ vero, matrimonium & conjugium hoc loco sunt synonima, licet alii adhuc distinguant; sæpe enim in Legibus hæ voces confunduntur. *L. 10. L. 11. ff. de Rit. nupt. L. 27. ff. de donat. inter virum & uxorem. L. 13. C. de nupt.*

b) Ubicunque enim & duo saltem, finis communis causa conveniunt, ibi exoritur so-

cietas.

cietas. *conf. D. Aug. Friedr. Müllerii* Natur und Völcker-Recht *c. 2. §. 2.* Nec aliud leges dicunt, quibus nuptiæ per conjunctionem, licet paululum remotius describuntur §. *1. J. de patr. potest. L. 1. ff. de Rit. Nupt.*

c) Probatur hæc tota definitio & sana ratione & legibus expressis *dd. LL.* quippe quod, indole nuptiarum in sequentibus paragraphis ulterius exposita, satius patebit.

§. II.

Requisitorum internorum est I. consensus.

Perficiuntur nuptiæ *requisitis* & *internis* & *externis*. *Interna*, quæ abesse nunquam possunt, primo desiderant *consensum* in hanc societatem, quem vocant matrimonialem. a) Consentiant autem omnes quorum interest, adeoque & parentes, b) nisi iam solemnia sponsalia præcesserint, quibus a parentibus probatis, simul inest voluntas in nuptias ipsas. c)

a) Hunc conjugium, quia societas est, quæ alias haud fingitur, requirit. Et pontifex *in c. 25. X. de sponsal.* ita disponit: *esse necessaria quantum ad ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti, seu matrimonialem.* Quomodo autem hic consensus

sensus exprimatur infra dicetur. Differt interim consensus sponsalitius a matrimoniali, ut pactum de emendo, & ipsa emtio. Sponsalia promittunt uxorem futuram: nuptiæ eam statim præstant; illa spem matrimonii faciunt; hæ ius fortius concedunt; sponsalitius consensus sufficit nudus: matrimonialis solemnitatibus certis constat, & id genus plura.

b) Quatenus horum consensus sit interponendus; iam dictum est *ad §. 3. & 4. Cap. II.*

c) Nam quicunque vult antecedens, velit & consequens necesse est.

§. III.

II. ut coëant mas & fœmina tantum.

Duæ ad hoc tantum *scilicet mas & fœmina*, non plures simul debent esse personæ *coniungendæ*, idque iuri divino a) & humano b) consentaneum esse arbitror. Excluditur inde omnis & *polygamia* & *polyandria*. c)

a) De iure naturæ quid dicendum sit, *D. Aug. Friedr. Müllerus* in dem **Natur und Völcker-Recht** *cap.* 12. §. 8. ex præsenti rerum statu solide, ut solet, demonstravit. Ex revelatione evolv: *Genes. c. 2. v.* 24. & in ipso paradiso ita sancitum est, ut tantum unius maris & unius foeminæ esset con-

conjunctio. Quod vero *Deus* in populo suo postea toleraverit polygamiam *Deut. c. 21. v. 15. II. Sam. c. 12. v. 8. 11. & c. 16. v. 22.* ejus rei rationes singulares adducunt *Excell. Mullerus all. loc. & Beckmannus in Politica Parallela c. 7. §. 4.* quorum ille ad multiplicationem Judæorum, qua ethnicorum occupent terras; hic ad ecclesiam, quæ conversione non erat augenda, amplificandam respicit. Quibus hodie exspiratis, omnino exulat polygamiæ usus. Accedit quod Christus in N. T. matrimonium ad primæuam institutionem revocaverit. *Matth. c. 19. v. 8. 9. conf. I. Cor. c. 7. v. 4. Carpzov. Jurispr. Eccl. L. II. def. 3.*

b) §. 1. *J. de patr. potest. Lib. I. ff. de Rit. nupt. §. 6. 7. J. de Nupt. L. 2. C. de incest. & inutil. nupt. L. 7. C. de Jud. & Coelicol. c. 8. X. de divort.* Uxores præprimis pluribus simul nupsisse viris in nulla unquam regione compertum fuisse, testatur *Augustinus Lib. III. de doctrin. christ. c. 12.*

c) Qui contraveniunt, afficiuntur poena Jure Civil. Rom. *infamiæ & stupri L. 1. ff. de his, qui not. inf. L. 18. C. ad Leg. Jul. de adult. add. §. 4. J. de publ. jud.* licet de hoc jure inter DD. adhuc divortium sit opinionum, ut late refert *Carpzov. Prax. Crim.*

Crim. P. II. qu. 66. In imperio noſtro poena capitis obtinet *Conſt. Carol. Crim. art.* 121. quod diſerte confirmavit *Auguſtus, Elector Saxoniæ in conſt. El.* 20. *P. IV. vid. Carpz. ad h. conſt. def.* 1. *&* 2. quin autem hæc omnia de ſimultanea, minime de ſucceſſiva polygamia ſint accipienda, quis dubitat?

§. IV.

Indiuidua porro eſt *hujus ſocietatis conſuetudo*, a) magis tamen ex intentione, quam ſemper euentu. b) Ex quo conſequens eſt, conjuges haud facile ſeparari debere. Idemque ſatis ſuppeditat diſcriminis rationem, qua diuerſum eſt matrimonium a concubinatu, c) fornicatione aliisque libidinibus vagis, quippe quæ ſine animo in ſocietate permanendi exercentur. d)

III. ut hæc ſocietas indiuidua ſit.

a) *Matth. c.* 5. *v.* 32. *&* *c.* 19. *v.* 9. *Marc. c.* 10. *v.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Paulus ad Rom. c.* 7. *v.* 2. 3. *§.* 1. *ff. de patr. poteſt. c.* 18. *C.* 33. *qu.* 2.

b) *Stryk. ad Inſt. §.* 1. *de patr. poteſt.* dantur enim cauſæ, ob quas divortium omnino concedi ſolet, ſi ſcilicet fides ab al-

tero conjugum violata, vel per adulterium, vel per malitiosam desertionem.

c) hic *jure Rom. & Canon.* toleratur *t. t. ff. & C. de Concubin. Nov.* 18. *vid. c.* 5. *c.* 6. *C.* 32. *qu.* 2. *rectius* jure divino damnatur *I. Cor. c.* 6. *v.* 9. 13. 15. *& c.* 7. *v.* 2. 9. cui jus imperii conformatum *Rec. Imp. de anno* 1530. *&* 1548. *it. Ord. Polit. de anno* 1530. *tit.* von leichtfertiger Beywohnung. Idem laudabiliter statuit *Elector Saxon. Mauritius* in der Landes-Ordnung *de anno* 1550. *tit.* von verdächtigen und leichtfertigen Weibes-Personen. Indeque hodie concubinatus poena carceris, vel relegationis coërcetur. *Const. El.* 28. *P. IV. Carpz. Prax. Crim. P. II. qu.* 70. *n.* 38. *seqq.*

d) quæ omnes libidinis explendæ gratia, vel ob quæstum fiunt; prohibitæ tamen sunt. *Chemnit. Exam. Concil. Trident. p.* 3.

§. V.

Finis matrimonii & generalis est & specialis.

Finem postea duplicem matrimonium intendit, generalem æque ac specialem. *Generalis est mutuum adjutorium*, quem conjuges constituisse intelliguntur, licet nihil de eodem sigillatim expresserint; a) idque diuinæ intentioni congruit. b) *Specialis est*

est procreatio sobolis, uterque finis in matrimonio quolibet obtinere debet. c)

a) omnis societatis finis est mutuum adjutorium, ergo & societatis conjugalis.

b) quam tradidit Deus in prima conjugii institutione *Gen. c. 2. v.* 18. 20. ubi præcipue adjutorii facit mentionem.

c) Eo enim efficitur differentia nuptiarum specifica; contra si nulla hujus finis ratio haberetur, omnes reliquæ societates inter duos saltem initæ, v. c. duorum mercatorum, essent nuptiæ, quod ridiculum est. Accedit, quod hac ratione singularis affectio erga liberos enascatur ad horum educationem rite perficiendam; quamobrem potissimum matrimonia sunt introducta. Nec desunt Leges, idem suadentes. conf. *L.* 220. *§.* 3. *ff. de V. S. L.* 1. *ff. Solut. matr. Nov.* 22. *princ. Nov.* 140. *princ. c. pen. C.* 31. *qu.* 1. *c.* 1. *&* 6. *C.* 32. *qu.* 2. *c. ult. X. de Condit.*

§. VI.

Quodammodo tamen sufficere videmus, quod solo generali fine obtento, conjugium subsistat omnesque tribuat effectus; a) quam sententiam *Interdu sufficit g valis.*

usus fori, prævia dissuasione, si contrahentes, ad generandum probabiliter incapaces, desistere nolint, admittit. b) Certum vero est, nuptias minime permitti, ubi de impotentia plane constat, c) nec minus damnari omne abstinentiæ votum. d)

a) Quod conjugium inter senes, ubi spes procreandi vix habetur, validum probat. *L. 27. C. de Nupt.* Poni enim tuto non possunt fines naturæ.

b) conf. *Carpzov. Jurispr. Eccl. L. II. def. 13. Stryk. Us. Modern. tit. de Rit. nupt.* §. 3. qui tamen ejusmodi matrimonia, imprimis juvenum cum vetula reprobanda & interdicenda haud immerito censet *ob L. 42. pr. ff. de Rit. nupt.*

c) Impotentia alterutrius matrimonium reddit nullum. Plura vid. *in cap. seq. IV.*

d) Hoc quidem communi utriusque consensu factum debere servari, aperte injungit *c. 6. C. 33. qu. 5.* Sed aliam longe sententiam alunt nostri Theologi & JCti ex eo, quoniam continentiæ donum uni alterique proprium & non omnibus datum, ipsamet *S. scriptura* testatur. *1 Cor. c. 7. v. 7.* atque melius esse nubere, quam uri, suadet *1 Cor. c. 7. v. 9.* conf. *Stryck de jure hominis in se ipsum Cap. II. n. 31.*

§. VII.

§. VII.

Hactenus de internis nuptiarum. Jam dicendum *de forma externa, qua opus est publica auctoritate*, ut testimonio sit, publico non adversari, quod inter privatos actum est. a) Variant autem solemnia, quæ hac in re observantur. Quibusdam in locis, ut in Belgio, nuptiæ pro validis reputantur, si vel coram judice seculari, vel coram notario testibusque sunt celebratæ. b)

Forma externa requirit publicam auctoritatem.

a) ut intelligatur, quæ societates in Republica formentur, & caveatur, ne quid ex amoris amentia contra bonos mores admittatur.

b) *Hahn ad Wesenbec. Parat. ff. de Rit. nupt. P. II. p. 155. Joan. Loccen. Syn: Jur. ad Leges Suecicas diff. 3. membr. 2. th. 8.*

§. VIII.

Apud Germanos & alibi, ubi Jus Canonicum receptum est, publica hæc autoritas ritibus ecclesiasticis absolvitur, a) qui copulatione & benedictione sacerdotali, post trinam, interposita semper septimana, e sugge-

Apud Germanos & ubi Jus Can. receptum, ritus ecclesiasticos.

ſtu publico, factam proclamationem, conſtant. b) Atque hæc hierologia a tempore Apoſtolorum uſitata fuiſſe, inque locum deductionis ſponſæ in domum mariti ſucceſſiſſe traditur. c) Saxonica lege idem cautum legimus, ita, ut ejus omiſſio pœnam arbitrariam operetur. d)

a) partim ut ſanctiſſimi hujus fœderis auſpicium mediantibus precibus fiat; partim ut itidem teſtimonium ſit nuptiarum legitime nec clanculum contractarum.

b) *c.* 3. *C.* 30. *qu.* 5. *c.* 3. *X. de clandeſtin. deſponſ. Lauterb. Coll. Pand. tit. de Rit. nupt.*

c) vid. *Hahn. ad Weſenb. ff. de Ritu nupt. P. II. p.* 153. *Schilter. Inſtit. Jur. Canon. tit. de nupt.* §. 2. *conf. c.* 1. *C.* 30. *qu.* 5. *c. ult. X. de clandeſtin. deſponſ. Joach. a Beuſt tr. de Jur. Connub. P. II. in præfat.* §. 46. Quæ uero Romanis fuit deductio in domum, plures teſtantur Leges, *L.* 5. *ff. de nupt. L. pen.* §. 1. *de donat. inter vir. & uxor. L.* 22. 24. *C. de nupt.*

d) Churfürſtl. Sächſ. Kirchen-Ordnung *art. gener.* 13. §. Es ſollen. *it.* Ehe-Ordn. *punct.* 1. *&* *punct.* 5. §. So dann die neue. *ſeq. Carpz. Jurisprud. Eccl. L. II. def.* 142. *n.* 9. 10. 11.

§. IX.

§. IX.

Inter hos ritus primus est trina *proclamatio*, a) a sacerdote illius loci, ubi nuptiæ instituuntur, & ubi domicilium habent b) copulandi, suscipiendi. c) Attamen caveat pastor loci, ne impedimentum, nuptiis obstans, maneat occultum. d) Præcluditur autem hac ratione omnis, qui matrimonium impedire poterat, (e) quod ut eo fiat justius, *Illustr. Bœhmerus*, quæ sequuntur, accurate requirit: ut fiat proclamatio 1) *debito loco;* 2) *ubi causa est ambigua;* 3) *per tria intervalla;* 4) *debito modo.* f) Quodsi hæc denunciatio vel contrahenda, vel omittenda, dispensatione est opus. g)

Ritus ecclesiastici constituunt l. in proclamatione.

a) Unde etiam trinundinæ proclamationes & dennnciationes appellantur *Menzer. de conjug. Tit. de sponsal. p.* 170. Quibusdam in locis unica tantum sufficit, ut *Francofurti ad Moenum Kitzel in Synopsi matrim. c. 4. theor. 6. lit. G. & H.*

b) Vel ubi educati, vel commorati sunt, etsi non amplius ibi habitent. *Concil. Trident. Sess. 24. c. 7.* **Churfürstl. Sächs. Kirchen-Ordn.** *art. gener.* 13. §. 1. 2. 3. *Carpz. Jurispr. Eccl. Lib. II. def.* 139.

c) Ipsi contrahentes sacerdotem adire & proclamationem petere tenentur & pro ea honorarium soluere. *Carpzov. Jur. Eccl. Lib. I. def.* 111.

d) Bene sollicitus sit parochus de consensu eorum, quorum interest; de testium adhibitione; de desponsatione cum tertia persona; de consangvinitate & affinitate contrahentium; de fide & moribus copulandorum; de tempore luctus &c. vid. *Schilteri Instit. Jur. Canon. tit. de nupt.* §. 6. Quodsi impedimentum satis perspectum cognoscit, ipse partes repellere potest: sin altioris indaginis rem deprehendit, ad consistorium eam deferre obstringitur. *Titius* in der Probe des deutschen Geistl. Rechts *Lib. IV. art.* 2. §. 22.

e) *c. fin. X. de clandest. desponf.* si scilicet hoc totum tempus frustra praeterlabi passus fuerit. Potest interim quovis tempore ante benedictionem jus suum proferre, licet nimium tarde nullaque justa causa instructus veniens merito poenam incurrat. *Titius all. loc.* §. 24. An peractis ecclesiae solemnibus adhuc admittatur, dubium est, quod ego negarem; quia desponsatis incumbit, curae cordique sibi invicem esse. *conf. c. 6. X. qui matrim. accus. poss.*

f) Ad 1) eo nimirum, qui huc destinatus est *Boehmer. Jur. Paroch. Sect.* 4. *c.* 3. §. 2.

§. 2. 3. *ad* 2) Si enim non ambigua est causa, finis proclamationis cessare videtur *Stryck. ad Brunnem. Jus Eccl. c.* 1. §. 6. At utplurimum ambigua est; quis enim certo scit facta hominum? Ergo utplurimum proclamari solet. ad 3) & quidem in tribus diebus dominicis proxime se subsequentibus. *Boehmer. Jur. Paroch. c. l.* §. 8. 9. ad 4) ut fiat clara voce silentiique perpetui clausulam in se contineat.

g) *Stryk. ad Brunnem. J. E. Lib. II. c.* 16. §. 6. *Carpz. J. E. Lib. II. d.* 139. 140. 141. casus necessitatis est exceptus. Remissa proclamatione jusjurandum præstatur coram Superintendente, quo partes, se alii fidem de conjugio ineundo nulli dedisse, testantur.

§. X.

II. In sacerdotali benedictione.

Præmissa proclamatione, sequitur *copulatio*, a parocho competente a) non nisi in ecclesia b) facienda. Ejus frequentiores ritus exponit *Schilterus* c), hunc in modum: Sunt primo interrogatio sacerdotis & mutua de ineundo matrimonio declaratio copulandorum, deinde reciproca datio annulorum connubialium atque manus dextræ; porro conjunctio die

Zusammensprechung, conjuncta cum adhortatione & instructione de officio conjugum; denique benedictio copulatorum, in genua procumbentium, adhibita formula ex institutione divina: crescite & multiplicamini! Hæc copulatio omitti non potest. d)

a) Qualis est, in cujus paroecia habitat sponsa, *Schilter. Instit. Jur. Canon. Lib. II. tit.* 11. §. 4. unde alienus non admittitur *art. gen. Saxon.* 13. §. *pen.* nisi in casu necessitatis, aut impetrata dispensatione, & pastori ordinario, quod illi debetur, soluto. *Carpz. J. E. L. II. def.* 148.

b) Ita regulariter *c.* 1. 2. 3. *C.* 30. *qu.* 5. *Art. gen.* 13. §. **Und nachdem** ꝛc. *Carpz. J. E. L. II. def.* 143. secus est si dispensatio intervenerit, quam tamen personæ illustres nobilesque impetrare moribus vix tenentur. Carpz. *J. E. L. II def.* 144. *n.* 11. *Engelbr. ad ff. de Rit. nupt. th.* 8.

c) *Instit. Jur. Canon. L. II. Tit.* 11. §. 10. Hæc autem omnia, quæ *Schilterus* recenset, accuratius traduntur in cujusvis loci Agendis ecclesiæ.

d) Obtinet certe, ut, hac copulatione coram sacerdote omissa, nec dum matrimonium intelligatur, nec liberi legitimi inde nascantur *c.* 1. *seqq. C.* 30. *qu.* 5. *Schilter. Exercit. ad ff. Exerc.* 36. §. 60. *seqq. Carpz. J. E. L. II. def.* 142. *Stryk. Us. mod.*

mod. Tit. de Rit. nupt. §. 25. licet alii dissentiant. vid. *Schoepferi synopſ Jur. priv. L. XXIII. Tit. 2. n. 80. ſeqq.* Elector autem Saxoniæ liberos ex ſponſalibus publicis nec vitio quodam intrinſeco laborantibus legitimos naſci juſſit, ſi alterius conjugis mors præmatura benedictionem impedivit. *Dec. El.* 49. Etenim alias nec apud Saxones matrimonium eſt. *O. P. S. V. Tit.* 43. §. Welch der Weiber Recht ꝛc.

§. XI.

Quæ omnia, ſi pro locorum conſuetudine concurrunt, perfectum omnino conſtituunt matrimonium. Gaudent itaque contrahentes pleno conjugum jure, his rite peractis. a) Ea vero, quæ illis adhuc accidere ſolent, vel plane ſunt de accedenti, vel tanquam effectus ex legitimo matrimonio ſequi debent. Ad illa hilaritates nuptiales; b) ad hæc conſcenſio thalami atque concubitus referuntur. c) Mores tamen Germanorum ad pleniores conjugii effectus neceſſariam voluerunt thalami conſcenſionem, d) quod adhuc in Saxonia viget, e) ita ut eadem nondum ſecuta, neque conjuges lucrentur, quod ex alterius bonis alteri fortaſſe debetur.

Quæ ſi concurrunt, perfectum conſtituunt matrimonium.

Mores tamen Germaniæ inſuper requirunt thalami conſcenſionem.

a) Id-

a) Idque jure communi *L. 15. ff. de condit. & demonstr. Joan. Gerhard in loc. de conjug.* §. 462. nisi moribus locorum aliud sit introductum. conf. *Stryk. Vs. mod. tit. de Rit. nupt.* §. 31. *& Schilter. Instit. Jur. Canon. L. II. tit.* 11. §. 3. *&* 11.

b) Quæ salvo matrimonio omitti possunt, uti & interdum experientia teste, siquidem nulla lege injunctæ, nec ex natura matrimonii promanant, omittuntur. De iisdem vid. *Carpz. J. E. L. II def.* 149. 157.

c) Nam quicunque vult finem, velit & media necesse est.

d) **Land-Recht** *Lib. I. art.* 45. *vers.* **und tritt in sein Recht, wenn sie in sein Bette tritt** ꝛc.

e) *Const. El.* 19. *P. III.* ibique *Carpz. def.* 2. *Richter. P. II. Decis.* 94. *n.* 6. Sola interim thori consensione contenti Saxones, conjugibus concedunt jura invicem competentia, licet conjunctio corporum non accesserit. *Carpz. c. l. def.* 4. *Richter. c. l. n.* 4. *&* 5.

§. XII.

Nuptiæ male dividuntur in publicas & clandestinas.

Dividuntur nuptiæ ab aliis *in publicas & clandestinas.* a) Illas vocant, quæ publice in cœtu fidelium adhibita

bita copula sacerdotali: has, quæ extra cœtum fidelium & sine copula sacerdotali celebrantur. Attamen horum opinioni subscribendum non duco. Etenim omne matrimonium non nisi publice b) perfici posse, ex hactenus adductis patet. Quæ cum ita sint, clandestinæ, ut appellantur, nuptiæ desinunt esse species nuptiarum, adeoque membrum dividens minime constituunt. Etiam in Saxonia c) nihil valoris tribuitur conjugio clandestino, potius contra Legum præcepta hac ratione cohabitantes ad honesta collegia non admitti statuit quondam Consistorium Electorale Saxonicum supremum. d)

a) Ut *Brunnem. in Repetit. Paratitt. Wesenbeci Lib. XXIII. Tit. 2. qu. 2.* ubi clandestinum conjugium in fieri prohibitum: in esse autem, si utraque pars fateatur, firmum docet.

b) Vid. §. 7. *h. cap. not.* a) Præterea aut recepta est benedictio sacerdotalis, aut non. Priori casu negligi ea sub poena nullitatis non potest, §. 10. *h. cap. not. d.* posteriori casu jure omittitur, cum alia in ejus locum

cum succedat forma, unde iterum conjugium publicum enascitur.

c) Vid. §. 10. *h. cap. not. d. in f.*

d) Conf. *Philipp. Vs. Pract. ad Instit. Lib.* 1. *Tit.* 10. *Eclog.* 41. *n.* 13. ubi ipsam sententiam allegat.

§. XIII.

Melior est divisio in licitas & illicitas. Quid sint licita.

Firmiori certe fundamento nititur divisio nuptiarum in *licitas* atque *illicitas;* Possunt enim requisitis omnibus observatis nuptiæ iniri, & nihilominus a Legibus improbari. a) Igitur *licitæ* dicuntur, quæ natura, Lege vel canone permittente contrahuntur. b)

a) Quod ex sequentibus §*phis* luculentius apparebit.

b) Verbo, in quibus nihil desiderari potest. vid. *Schneidew. Comm. ad Instit.* 10. *P. II. n.* 9. Earum indoles respicit partim ad modum procedendi, qui idem est, de quo hactenus fusius actum; partim ad qualitatem personarum, de qua *cap. IV.* verba fiunt.

§. XIV.

Illicitæ quid sint.

Illicitæ nuptiæ sunt, quæ natura, Lege vel canone repugnante ineuntur.

tur. a) Præsumitur hic matrimonium quoad formam, & internam, & externam plene peractum: ex quo fluit, illicitas nuptias non intelligi de scortatione seu vagis libidinibus, sed de commixtione maris & feminæ, quæ facta est sub matrimonii colore contra Legum prohibitionem. b)

a) Eodemque leges naturales, civiles & canonicæ tendunt. *tot. tit. C. de incest. & inutil. nupt.* Neque repugnat huic conceptui natura nuptiarum jamiam exposita; alia enim est quæstio: an matrimonium contrahatur? & alia iterum: an inter has personas contrahi stareque possit? Imo imperator Justinianus ipse disponit: a quibusdam nuptiis abstinendum esse, easdem contractas autem vocat illicitas §. 1. *J. d. nupt.*

b) Vid. *Schneidew. Comm. ad Instit. Tit.* 10. *P. III. n.* 1.

§. XV.

Sunt vero duplices *nuptiæ illicitæ, aliæ nefariæ & incestæ*, a) *aliæ inutiles.* Illis impedimento est nimia personarum propinquitas, ex consanguinitate æque ac affinitate proficiscens; sic coëuntes crimen incestus committunt.

Illicitarum aliæ sunt nefariæ & incestæ aliæ inutiles.

tunt. b) His obest alia ratio, sive civilis, sive canonica; omnes earum species late recenset Schneidewinus. c)

a) Quamvis incestæ & nefariæ promiscue accipiantur: tamen secundum *gloss. in Rubr. C. de incest. & inutil. nupt.* *nefariæ* proprie dicuntur, quæ inter ascendentes & descendentes contrahuntur in infinitum *L. 53. §4. & fin. ff. de Rit. nupt.* *incestæ* vero, quæ inter collaterales consangvineos in primo & secundo gradu lineæ æqualis contrahuntur. Idem inter quasdam personas primo & secundo gradu affinitatis conjunctas. *L. 9. C. de incest. nupt. Schneidew. c. l. n. 3. & 4.*

b) Quid amplius hac de re dicendum sit, habetur infra.

c) *all. l. n.* 14. plura vid. *sub Cap. V.*

§. XVI.

Tempus, quo celebrari possunt nuptiæ.

Quo tempore nuptiæ possint celebrari merito quæritur? ubi ita statuendum est: omne tempus indistincte copulationi vacare, si unice actum hunc ecclesiasticum consideres: a) sin de festivitate nuptiali quæras, quam moribus haud facile omittunt, illud

illud tempus, quod ſanctioribus meditationibus deſtinatum, illis minime inſervire, certum eſt. b) Prohibentur itaque fieri ſolemnia nuptiarum a dominica prima adventus usque ad feſtum nativitatis; tempore jejunii quadrageſimalis: & diebus dominicis ac feſtis. c) Diſpenſatio d) tamen & neceſſitas faciunt exceptionem.

a) Eſt enim hæc ipſa benedictio ſacerdotalis, quæ in ſe nihil continet, quod pias meditationes turbare poſſit, adeoque a diebus dominicis & feſtis non poterit ſeparari. Et ipſum conjugium orandi magis, quam peccandi occaſionem præbet, ſi modo novi conjuges, uti decet, exemplum Tobiæ junioris ſequi velint.

b) conf. *Schilter. Inſtit. Jur. Can. L. II. Tit.* 11. *§.* 8.

c) *c.* 8. 9. 10. 11. *C.* 33. *qu.* 4. Hæc enim temporum ſpatia ideo humanis negotiis ſunt erepta, ut orationi vacent Chriſtiani ſingularem in modum. Quid vero magis gravat hominum corda præter ſaltationes & crapulas? add. *Carpz. J. E. L. II. def.* 151. 154. quod autem in *can.* 10. *all.* diſponitur: *quodſi factum fuerit, ſeparentur*, id uſum moribus vix habebit.

d) *Carpz. c. l. d.* 152. est enim dispositio humana solum. Dispensatur etiam in diebus dominicis & festis ex justis causis atque peracto cultu sacro, finitaque catechetica informatione. *Carpz. c. l. d.* 155.

§. XVII.

Conjugium quatenus præsumendum.

Si coiverint mas & fœmina & adhuc cohabitent, imo si fama de affectu conjugali, quo invicem se complectuntur, testetur, licet nemo asserere valeat, ubi & quando nuptias celebraverint, an conjugium inde præsumendum? quod affirmarem. a) Omnis enim præsumtio est relicti exclusiva; magis ergo matrimodium, quam concubinatus præsumetur. Hinc si quis ejusmodi personis moveat status quæstionem, sibi ipsi imponit probandi necessitatem. b) Cum vero plus valeat veritas, quam in opinione quod est; re ipsa detecta, omnis præsumtionis valor enervatur.

a) Eoque collimat disertis verbis *c. 11. X. de præsumtionib.* modo diutina fuerit cohabitatio satisque probata, ita ut fama loci inde orta sit, has personas in lecto & mensa, sicut conjuges se gessisse. add. *L. 9. C. de nupt.* conf. præterea *Mascard. de Probat. T. II. Vol. III. concl.* 1026.

b) Hæ

b) Hæ enim personæ sunt præsumtione munitæ: præsumtio autem relevat a probatione.

§. XVIII.

Matrimonium quomodo probandum.

Postremo subjiciam pauca, quibus probari potest matrimonium. Admitti hoc loco, quæ alibi adhibentur, probandi media, a) per se patet, adeoque id fieri poterit instrumentis publicis testibusque, vel pluribus imperfectarum probationum speciebus conjunctis. b) Semiplena etiam probatio interdum sufficit; imo in dubio pro matrimonio præsumitur. c) Attamen apud nos, ubi obtinet benedictio sacerdotalis, facillima est plena & perfecta probatio nuptiarum, ex matricula seu calendario ecclesiastico, aus dem Kirchen-Buche, desumenda. d)

a) Romani ex instrumentis dotalibus probabant.

b) Jurejurando scilicet & similibus, indeque compositis conjecturis. arg. *c. ult. §. fin. X. de Jurejur.* modo hæ imperfectæ probationis species in se perfectæ sint. *Mascardus de Probat. Tom. II. Vol. III. Conclus.* 1035. *n.* 27.

c) Quod semiplena probatio sufficiat *Carpz. J. E. Lib. III. def.* 50. *n.* 9. 10. & in dubio pro matrimonio præsumatur, *arg. c.* 3. *X. de probat. c.* 47. *in f. X. de testib.* jung. *c. f. X. de transact.* ratio est singularis favor, quem jus Canonicum pro conservandis matrimoniis introduxit; Negari tamen nequit, eundem sæpiuscule nimium extendi.

d) In quo baptizati, novi conjuges copulati & ejusmodi alia consignantur. Sunt autem hi libri ecclesiarum acta publica, quæ non minus ac alia instrumenta publica plenam faciunt fidem. *c.* 23. *X. de Elect. L.* 2. *C. de Edend. Wehner. Observ. Pract.* verb. **Bücher** §. 25. *Carpz. J. E. L. II. d.* 315. *n.* 2. *sqq.*

CAPVT IV.

DE QVALITATE PERSONARVM NVPTIAS CONTRAHENTIVM.

§. I.

Qualitas personarum est I. ut valeant consentire.

Exposita sponsaliorum figura, traditoque nuptiarum ritu, paululum dispiciendum erit de qualitate uniendorum.

rum. a) Sicuti vero principaliter & ad ſubſtantiam, veluti cauſa efficiens matrimonii, conſenſus ipſorum contrahentium requiritur: b) ita prima inde qualitas conjungendorum deducitur, ut ſi vere valeant conſentire. c)

a) Dum enim intelliximus, quomodo nuptiæ fieri poſſint, ordine jam naturali naſcitur quæſtio: quisnam easdem celebrare poſſit? quo patefacto demum aſſeri juſto poteſt, quando juſtæ perfectæque nuptiæ exiſtant.

b) Etenim conſenſus facit nuptias *L.* 30. *ff. de Reg. Jur. c.* 2. *C.* 27. *qu.* 2.

c) Nam cauſa deficiente, effectum etiam deficere, nemo negabit. De ipſo conſenſum interponendi modo ſupra dixi *Cap. II.* §. 2. 3.

§. II.

Quicunque ergo, quo minus conſentiat, impeditur, ad arduum hocce negotium minime admittitur. Qua de re infans, i. e. conſtitutus infra ſeptimum annum æque ac ſeptem annis major impubes, nulla ſponſalia, multo minus nuptias contrahit. a) Quicquid vero ea

Vnde nuptias non contrahit α) infans.

de causa Jus Canonicum introduxit, b) incongruum plane est nullaque applicatione dignum. Neque assentiendum reor *Schneidewino* c) asserenti, impuberes desponsatos ante pubertatem resilire, aut pœnitere non posse.

a) Licet aliud de majoribus septem annis intuitu sponsalium jure Romano statuendum videatur ob *L.* 14. *ff. de Sponsalibus*, vi cujus sponsalia a primordio ætatis effici possunt, modo id fieri ab utraque persona intelligatur. Sed omnia alia apud nos evenire videmus, ubi sponsalia magis stringunt, quam apud Romanos, & pueri puerilia tractant. Pubes tamen impuberi hoc modo obligatus, pro lubitu non recedit.

b) Hoc enim in *c.* 4. *penult. & fin. X. de desponsatione impuber.* aperte sanxit: *sponsalia valere, ex quo utraque pars septimum complevit annum.* At obligatio non est, ubi tam lubricum adhuc est judicium & præcocia ingenia haud raro nascuntur; unde praxis merito hanc derelinquit dispositionem. Imo ipse pontifex limites huic sententiæ ponit in *c.* 2. *X. eod.* quo ante pubertatem adeptam conjungi inhibentur, & in *c.* 8. *&* 9. *X. eod.* eo respicit, si perseveraverint in eadem voluntate & puberes facti ratihabuerint consensum.

c) In

c) In *Comm. ad Inſtit. L. I. tit.* 10. *P. II. n.* 13. ubi hanc quidem addit rationem: ſicut impubes non habet perfectum conſenſum ad contrahendum: ita nec ad diſſentiendum. Sed ipſe ſibi contrarius eſt; ubi enim nihil contractum, uti hic, ibi ne quidem opus eſt pœnitentia ſeu diſſenſu. Egregie inſuper juvat ſententiam meam *c. 7. X. de deſponſ. imp.* ex quo puberes facti, ſi alter contradicat, ſeparari debent.

§. III.

Ex eadem ratione nullius ſunt momenti ſponſalia furioſi, cujus plane conſenſus eſt nullus: a) mente capti, qui mentis cœcitate ita laborat, ut libera voluntate ſanoque intellectu haud polleat: b) ſumme ebrii, qui uſu rectæ rationis caret. c) Huc pertinent omnes, in quibus idem deprehenditur impedimentum. Quæ perſonæ, cum ne delicta quidem illis imputentur, d) tanto minus matrimonium valide & animo deliberato iniviſſe dicuntur. e)

ε) *furioſus*
γ) *mente captus*
δ) *ſumme ebrius aliique.*

a) *L. 6. C. de Curat. furioſ.* juncta *L. 8. ff. de Sponſal. L. 40. ff. de Reg. Jur. & §. 8. J. de inutil. Stipul.* Eſt præterea furor ſuperveniens cauſa diſſolvendi ſponſalia, *Carpz. J. E. L. II. def.* 182. *ſqq.* cui

cur non etiam impedimentum contrahendorum?

b) arg. *L. 2. C. de Curat. furios. Lauterbach. Colleg. Pandect. L. XXIII. tit. 2. §. 44.*

c) Ebrietas enim & mentis inducit exilium & libidinis provocat incentivum *c. 14. X. de vit. & hon. cleric. Carpz. J. E. L. II. def. 31.* Et recte *Gerhardus Tom. 7. §. 117.* inquit: *non a Deo conjuncti videntur, quos male vinum vel diabolus conglutinavit.*

d) *L. 9. §. 2. ff. ad Leg. Pompej. de Parric. L. 12. ff. ad L. Corn. de Sic. Carpz. Prax. Crim. qu. 146. n. 32. sqq.*

e) Accedit, quod furiosus menteque captus alieno indigeant auxilio, & quamdiu non sapiunt, curatorum arbitrio regantur. *L. 6. C. de Curat. furios.* idque ob defectum accidentalem. conf. *Mencken. Tract. Synopt. Instit. L. I. Tit. 23. §. 4.* Quomodo quæso hac in causa, ubi curatoris consilium ne quidem in considerationem vocatur, sibi satis prospicere poterunt?

§. IV.

2. ut sint nas & fœmina.

Alia ex ipsa nuptiarum definitione qualitas coeuntium apparet, ut nimirum sint

sint mas & fœmina. Atque hæc sexus diversitas nefandissimam excludit conjunctionem, seu Sodomiam, scelus, quod non proficit scire. a) Idem fere turpissimum crimen, quatenus metuendum ab hermaphroditis, qui de utroque sexu participant, efficit, ut illis matrimonium haud facile permittatur. b) Si tamen ex corporis inspectione pateat, quis sexus prævaleat, & hermaphroditus alterum amplexus, alterum abjuraverit, secundum qualitatem sexus incalescentis a matrimonio non erit arcendus. c)

a) Hoc crimen jure divino *ultimo supplicio Levit. c. 20. v. 13.* jure civili *gladio, L. 31. C. ad L. Jul. de adult. & Ordinat. Criminal. Caroli V. art. 116. ignis concremationi* punitur.

b) *Lauterbach. Colleg. Pandect. Lib. XXIII. tit. 2. §. 36. Carpz. J. E. Lib. II. def. 16.*

c) *L. 10. ff. de stat. homin. L. 15. ff. de test.* scilicet si muliebria prævaleant, nubendi: sin virilia, uxorem ducendi facultas conceditur. Ipse tamen *Lauterbachius all. loc.* cum *Zachia quæst. medico-legal. Lib. III. qu. 9. & ult. n. 1. 2. & 3.* monet, varia

hermaphroditorum dari genera, quibus omnibus ad matrimonium contrahendum aditus patefieri non debeat, cum nonnulli prorsus inhabiles inveniantur, simulque exemplum adducit, quod duo hermaphroditi, in utroque sexu æque potentes, ex reciproco utriusque sexus usu simul in utero gestaverint. Conf. præterea *Stryk in Tract. de Jure Sensuum Diss. I. c. 1. n. 60. sqq.*

§. V.

III. ut justa conjungendorum sit ætas.

Ætatis intuitu nova exoritur contrahentium qualitas. Justam illorum ætatem vult esse imperator Justinianus, ita ut masculi non nisi puberes, feminæ autem viripotentes admittantur, a) ne juvenum venus eorumque pubertas maturius justo exhauriatur. Quæ lex generalis nullibi mutata. Terminus autem hujus pubertatis varie positus est. Jus civile in masculis quatuordecim, in fœminis duodecim annos naturaliter completos requirit. b) Jus Canonicum æstimat hanc pubertatem non ex annis, sed ex vi naturæ, quæ ætatem supplevit. c) At mores d) annum decimum octavum, in masculis præcipue constituunt

tuunt pro fine, quo ipſo alendi uxorem & dirigendi familiam facultas adeſſe creditur. e)

a) *Pr. J. de nupt.*

b) *Pr. J. quib. mod. tut. fin. L. 4. ff. de nupt.* & apud Romanos ante illam ætatem fœmina minor XII. annis ne quidem concubinæ loco haberi poterat *L. 1. §. 4. ff. de Concubin.* Ratio cur fœminæ prius, quam maſculi, pubeſcant, multifaria ſuppeditatur, vid. *Harpprecht. ad pr. J. de nupt.* cujus tamen verior indagatio phyſicis, opinor, relinquenda. JCto autem merito ſtat pro ratione voluntas Legislatoris.

c) *c. 3. & 14. X. de deſponſ. impuber.* ibi: certum eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit & generare jam poteſt. Et puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt.

d) *Lauterb. Coll. Pand. L. XXIII. tit. 2. §. 47.* ad Cæſarem provocat, qui olim de Germanis noſtris meminit, quod illis intra *XX.* annum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habitum fuerit rebus.

e) Equidem leges, anno XII. & XIV. completo, nuptias permittunt, neque hac ætate peracta ſimpliciter nuptiæ prohibentur,

tur, quod *Philippi in Usu Pract. Instit. L. I. tit.* 10. *Ecl.* 58. *n.* 3. præjudicio probat; necessario tamen id ipsum servandum non imponitur. Cumque præter ætatem in conjugibus adhuc varia requirantur, quæ salva reipublicæ salute omitti haud debent; mores ab hac definitione merito recesserunt, in viro ad matrimonium XVIII. annorum ætatem desiderantes. conf. *Carpz. J. E. L. II. def.* 12. *n.* 17. 18. 19. *Stryk. Us. Mod. L. XXIII. tit.* 2. §. 2. *Mencken. Tract. Synopt. Inst. L. I. Tit.* 10. §. 1.

§. VI.

IV. ut ad liberos procreandos sint habiles.

Ex fine nuptiarum speciali conjuges non intelliguntur, nisi qui habiles sunt ad liberos procreandos, a) quo enim magis divinitus ille finis intentus: b) eo diligentius in conjugio attendi debet. Patet ergo exinde qualitas conjungendorum singulariter observanda, ut potentia gaudeant generandi. In quibuscunque vero impedimentum est, quo minus carnaliter conjungi & prolem futuram sperare possint, c) inter illos nullum est matrimonium. d)

a) Conf. *supra Cap. III.* §. 6. *not. a* quod ipsum jus naturæ probat. vid. *D. Mul-*

leri

leri Natur- und Völcker-Recht. c. 12. §. 2. 3. 4. 9.

b) *Geneſ. c. I. v.* 27. 28.

c) *L. pen. ff. quand. dies legator. Brunneman. Jur. Eccl. L. II. c.* 17. §. 7.

d) Et licet de facto contractum ſit, ipſo tamen jure nullum habetur. Ne vero conjuges ſub falſo prætextu diſcedant, merito introductum eſt, ut per ſententiam nullitatis ita matrimonium nullum declaretur *c. 1. 2. C. 33. qu. 1. c 1. 5. & 7. X. de frigid. Carpz. J. E. Lib. II. def.* 200. *& ſeqq.*

§. VII.

Matrimonium inde evnuchorum & ejusdem generis aliorum invalidum.

In aprico jam eſt, quid ſentiendum ſit de conjugio evnuchorum, a) thlaſiarum, b) thlibiarum, c) frigidorum, d) ſimiliumque, qui pari ratione inepti exiſtunt. Impediuntur certe & fruſtra cohabitant. e) Bene tamen in hac cauſa perpendatur, an ejusmodi impedimentum a natura, an facto vel caſu contigerit, f) adeoque an perpetuum, an ad tempus duret, ut in Spadonibus in ſpecie talibus; g) Ex eoque dijudicetur ratio vel concedendi vel impediendi. h)

a) Quo-

a) Quorum genitalia ita sunt mutilata, ut concubitus ab ipsis exerceri nequeat, vel qui virilibus exsecti sunt. vid. *Minell ad Terentii Evnuch. n.* 179. *conf. Hier. Delphini Tract. de Evnuchi matrimonio.*

b) Ab aliis vocantur *Ralasiæ.* Sunt autem, quorum testiculi sunt exsecti. *Gothofred. ad L.* 128. *ff. de verb. sign. lit. b.* Atque hi cum castratis convenire videntur.

c) Quibus attriti sunt testes. *Gothofr. all. L. Lit. g. add. L.* 5. *ff. ad L. Cornel. de Sicar. ibique Gothofr.*

d) Sub quibus omnes continentur, qui debitum conjugale reddere non possunt. Adduntur iisdem maleficiati, qui propria culpa impotentes sunt facti. conf. *t. t. X. de frigid. & maleficiat.*

e) *c.* 2. *X. de frigid. & malefic.*

f) Quam differentiam ipsa *Scriptura Sacra* inducit *Matth. c.* 19. *v.* 12.

g) Vid. *L.* 39. §. 1. *ff. de jur. dot. L.* 14. *in f. ff. de manumiss. vindicta*; his enim matrimonium permittitur. Imo ad generandum habiles dicuntur in *L.* 6. §. 2. *ff. de ædilit. edict.* Tales itaque erunt, qui levi-

leviter vel ad tempus sunt inhabiles. Quod secus in Spadonibus in genere talibus, quo nomine omnes incapaces hactenus receensiti continentur. *L.* 128. *ff. de verb. sign.*

h) Certæ personæ vix possunt universali regulæ includi, nisi excipias, ubi apertum perpetuumque est impedimentum. Verum & hoc facti est adeoque sine causæ cognitione judicium tuto satis haud ferendum, nec unquam ex vulgari opinione homines dijudicandi. Potest enim quis esse ad tempus inhabilis & ideo tamen non statim plene impotens; hinc & optime cautum est jure civili, conjuges per triennium, a die tentatæ copulæ computandum, cohabitare *Nov.* 22. *c.* 6. *& jure Canonico* mediis uti debere *c.* 4. *C.* 33. *qu.* 1. *c.* 3. *X. de frigid. & maleficiat.* Si nec tum impedimentum cessaverit, matrimonium dissolvitur. *c. f. X. de frigid. & malef.* Præterea nondum convenit inter DD. quorum matrimonia simpliciter sint reprobanda. De ipsis evnuchis gravissime contendunt. conf. *Stryk. Us. Mod. Lib. XXIII. tit.* 2. §. 4. ibique citat. *Delphinus & Bucknerus.*

§. VIII.

An idem de matrimonio senum dicendum?

Idem fere dicendum videtur de senibus, quoniam in canitie ridiculosa est venus. Romani, forsan hac ratione ducti, sexa-

sexagenarium inhabilem, & quinquagenariam sterilem præsumebant. a) Sed ultra hos annos generandi potentes reperiri & nonnullos viros centum annis majores generasse, probat *Lauterbachius.* b) Hinc senibus facultatem matrimonium contrahendi non frustra plane restituit imperator *Justinianus.* c) Mores tamen mediam quasi viam insequentes hujusmodi nuptias dissuadent, & tandem si abstinere nolint, demum permittunt. d)

a) Tales senes conjungi prohibebant per *Legem Juliam & Papiam*, quia tum facultatem generandi deficere credebant. *L.* 27. *C. de nupt. add. L.* 21. *pr.* §. 1. *ff. de Act. Emt. L.* 15. §. 2. *ff. de adopt. L.* 12. *C. de legit. hered.*

b) *In Colleg. Pand. Lib. XXIII. tit.* 2. §. 48. *ubi Zachiam quæst. medico-legal. Lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 19. *n.* 54. *Plinium Lib. VI. c.* 14. allegat variaque exempla subministrat.

c) *In L. cit.* 27. *C. de nupt. & L.* 12. *C. de legit. hered.*

d) Conf. *Stryk. Us. Mod. Lib. XXIII. tit.* 2. §. 3. *add supr. Cap. III.* §. 5. *not. d)*

§. IX.

§. IX.

Præter hæc omnia singularis qualitas in nuptias cupientibus Legibus Romanorum statuta est, qua non nisi cives Romani legitimum matrimonium ineunt. a) Igitur jure civitatis carentes destituti simul connubiorum effectu censentur. b) Tales sunt servi Romanorum c) & peregrini, d) liberi quidem homines, sed civibus in ditione Romana vel hac in parte postpositi; naturaliter tamen coire non prohibentur. e)

v. ut sint cives Romani.

a) *Pr. J. de nupt.*

b) Scilicet jure familiæ, patriæ potestatis & quæ sunt reliqua. Jus enim civitatis triplicem tribuebat effectum juris, nimirum connubiorum, contractuum & testamentorum. *Stryk. ad pr. J. de jure personar.* Quæcunque ergo civiliter ex matrimonio fluebant, illorum particeps fieri non poterat nisi civis Romanus.

c) Quorum conjunctio matrimonialis contubernium vocabatur, *L. 3. C. de incest. nupt.* & uxores eorum contubernales *L. 12. §. 33. ff. de instruct. vel instrum. legat. L. 41. §. 2. ff. de Legat. III.*

d) Arg. *pr. J. de nupt.*

e) Vigebat enim & citra leges Romanas vis matrimonii saltem ex lege naturali, cui omnes homines subsunt. Neque id negant ipsi Romani in *L. 32. ff. de Reg. Jur.* ubi, quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales esse profitentur.

§. X.

rvorum & pere- inorum ud nos le- itimum est atrimo- ium.

Apud nos aliter res se habet. Servi deficiunt; inde non est, ut de contubernio solliciti simus eoque id minus, cum jure Canonico servorum matrimonium æque justum & verum ac inter homines plane liberos consistat, a) jure domini salvo manente; b) Nostri tamen famuli & ancillæ sunt liberæ personæ. c) Peregrini civibus Romanis exæquati, d) hinc ad jura conjugum percipienda satis apti.

a) *c. 1. & tot. tit. X. de conjug. serv.* etiam invito domino sive inter se, sive cum alia persona libera contractum sit. *dd. text. conf. Harpprecht. ad Inst. tit. de nupt. n. 2.*

b) *L. 12. §. 3. ff. ad Exhibend. L. 5. L. 24. ff. de stat. hom.* In eo enim Jus civile per canones non est mutatum.

c) In

c) In his ergo non valet, quod de servis asserui, licet ante locationis tempus finitum matrimonio conjungi velint. vid. *Schultz. ad Instit. tit. de nupt. lit. B.*

d) Per *Auth. omnes peregrini. C. communia de Success. conf. Struk. ad Instit. Lib. 1. tit. 9. §. 1. & tit. 10. ad princ.*

§. XI.

Imo moribus in locum ejus, quo jus civitatis requirebatur, hæc qualitas contrahentium, quod toleratæ religioni sint addicti, successisse videtur. a) Quapropter hæreticorum, cum ipsi non tolerentur, inter christianos nullum est matrimonium. Nec aliud dicendum, licet cum christianis se commiscuerint, pœna potius utrique dictanda. b) Attamen quin legitimum habeant conjugium hæretici in illis locis, ubi in civitatem sunt recepti, vix dubitandum. c)

Requiritur tamen ut sint tolerata religionis.

a) *Instrum. Pac. Osnabr. & Monaster. art. 7.* Tolerantur autem in imperio nostro sacra tantum *Romano-catholicorum, Lutheranorum & Reformatorum.* Reliqui omnes sub nomine hæreticorum veniunt, v. c. *Judæi, Turcæ & similes.*

Qui autem intra ecclesiam sunt, inter eos ex pacificatione religiosa licita sunt matrimonia sine distinctione religionis. De cautionibus hoc casu adhibendis agit *Carpz. J. E. Lib. II. d. 6. n. 27. & 28.*

b) *c. 16. & 17. C. 28. qu. 1. L. 5. C. de sponsal. L. 16. C. de Episc. aud. L. 6. C. de Jud.* Pœna autem capitis seu gladii moribus vix observatur. *Carpz. Prax. Crim. qu. 76. n. 64.* Mitior ergo pro arbitrio judicis dictatur. *Stryk. Us. Mod. tit. de nupt. §. 5.* Semel vero contractum ejusmodi matrimonium irritum reddi nequit, *1 Cor. c. 7. v. 12. 13. 16. 1 Petr. c. 3. v. 1.*

c) Sic enim variorum jurium imprimis connubiorum facti sunt participes. vid. *Stryk. Us. Mod. tit. de nupt. §. 5.*

§. XII.

mines oprii va- le nuptias eunt.

Homines proprii speciem servitutis in Germania constituunt, attamen a Romana valde diversam, quos inter justum est matrimonium, a) ex quo omnia jura, ut ex aliis proficiscuntur. Sic pater liberos etiam quoad effectus civiles in potestate habet; liberi sequuntur conditionem patris. b) Equidem quibusdam

in

in locis non niſi domino c) approbante, nuptias ineunt: at hoc requiſitum inſuper conſuetum non minuit, verum confirmat magis nuptiarum valorem.

a) Quod ego non quidem cum *Strykio in Uſ. Mod. all. l.* ex juris Canonici conjugio ſervorum, ſed ex eo probarem, quod homines proprii ſint liberi homines & glebæ ſolum adſcripti, ita ut libere tantum migrare non poſſint. vid. **Land-Recht, *Lib. III. art.* 44. *Ord. Sup. Luſ.* wegen der Unterthanen und deren Kinder** *de an.* 1652. *art.* 1. **Chur-Sächſ. Landes-Ordn. im Marggrafthum Nieder-Lauſitz,** *tit.* 2. §. 4. *ſq. Harppr. ad* §. 13. *J. de actionib. n.* 14.

b) *Mevius P. II. Dec.* 232. *& P. V. dec.* 129. *Stryk. Uſ. Mod. tit. de rit. nupt.* §. 1.

c) *Stryk. Uſ. Mod. all. loc.*

§. XIII.

Reſtat ultima conjugum verorum qualitas, ut legibus non ſint prohibiti. Licet enim omnia concurrant, quæ in perſonis conjungendis jamjam deſiderata ſunt; variæ nihilominus ſunt cauſæ, ob *VI. ut Le bus non p hibeantur coire.*

quas nuptiæ plane prohibentur. Has æque scire proficit. Quo autem plures difficilioresque earum deprehenduntur: eo majorem in illis exponendis sequente capite operam sum navaturus.

Caput V.

DE CAUSIS PROHIBENDI MATRIMONIUM.

§. I.

endit libet ibitio ex ni- propin- ate, vel ingulari s dispo- ne.

Omnis prohibitio nuptiarum derivatur vel ex propinquitate personarum, quæ in consanguinitatem & affinitatem abit; vel ex singulari legis dispositione. a) Hæc spectat vel honestatem, vel rationem mere civilem canonicamque. Atque concurrunt in his prohibitionum causis omnia fere jura divina eaque tam naturalia, quam revelata, b) & humana peregrina seu aliunde recepta, æque ac cujuslibet provinciæ domestica. c)

a) Ex sequentibus enim patebit, legislatores varias habuisse causas, quibus præter cogna-

cognationem, vel propter decorum, vel propter salutem reipublicæ quædam inhibuerint matrimonia.

b) Jus divinum veteris Testamenti, quod huc pertinet, licet solis Judæis sit latum, nos certe non excludit. Est enim universale ex eo, quoniam Deus id jubendo non singularem ad statum Judæorum habuit respectum, indeque sapientissima hæc dispositio nostris rebuspublicis commode satis potest applicari.

c) Ubi enim desinit jus naturale, ibi incipit positivum, cui tandem humana dispositio varia adjecit. Expedit igitur in quolibet casu omnia probe secernere, quo divina voluntas eo accuratius servetur.

§. II.

Primo de *propinquitate*. Quæ cum sine repræsentatione personarum commode absolvi nequeat, monendum hic venit, ita notari personas, masculum quidem per O. feminam per —: matrimonium autem per lineam curvam ⌣. *Consanguinitas hoc loco* a) *est conjunctio personarum, ab eodem stipite proxime communi*, b) *descendentium, carnali propagatione contracta*. c) Dispescitur in

Quomodo personæ significentur.


Definitio consanguinitatis.

cognationem in ſpecie dictam, qua perſonæ per feminam ſive maſculum lineæ maternæ, aut maſculum lineæ paternæ, qui familiæ jus amiſit, vulgo Ohmen-Geſpinne oder Spillmagen; d) & in *agnationem*, qua perſonæ per patrem aut alias perſonas virilis ſexus communione ſanguinis nobis junguntur, vulgo die Vettern oder Schwerdtmagen. e) Parum tamen hæc diviſio in hac materia tribuit utilitatis. f)

a) Vox enim *conſanguinitatis* alios adhuc admittit ſignificatus, quod docuit *Joh. Chriſtoph. Lipoldus in arbore conſangu. & affinitat. Cap. I. §. 1. 2. L. 4. ff. unde cognati. L. 3. in fin. ff. de J. & J. c. 18. C. 35. qu. 2.*

b) Per communem ſtipitem hic intelligitur illa perſona, a qua reliquæ, de quarum cognatione quæritur, originem trahunt. *Lauterbach. Colleg. Pandect. L. XXXVIII. tit. 10. §. 3.*

c) *L. 4. §. 2. L. 10. §. 4. ff. de gradib. L. 23. ff. de adopt.* Vocantur ejusmodi conjuncti Bluts-Freunde ſeu conſanguinei, quaſi de uno ſeu communi ſanguine

guine nati & propagati, v. g.  Imo reputantur pro iisdem, sive licite, sive illicite propagatio sit secuta. *L.* 14. §. 2. *L.* 54. *ff. de Rit. nupt.*

d) §. 1. *J. de leg. agnat. tut.* §. 3. *J. de cap. demin. L.* 4. §. 10. *ff. de grad.* 

e) *all.* §. 1. *J. de legit. agnat. tut.* §. 3. *J. de cap. demin.*  Agnatio juris civilis nomen est.

f) Nam in agnatis eadem est necessitudo, quam in cognatis & idem utrisque communis stipes; hic autem sola sanguinis conjunctio attenditur.


§. III.

Affinitas a) est *conjunctio inter alterum conjugem & alterius conjugis consanguineum vel affinem, per concubitum facta.* b) Conjuges una caro fiunt; hinc ipsi non quidem sunt affines, c) be- *Definitio affinitatis.*

ne tamen ob eandem rationem cognati mariti jam conjuncti intelliguntur uxori, & contra uxoris cognati marito. Ipſæ vero conjugum cognationes adhuc manent diverſæ, quippe quarum inter ſe conjunctionis ratio dari nulla poteſt. d)

a) Dicta ab eo, quod duæ cognationes inter ſe diverſæ per nuptias copulantur & altera ad alterius cognationis fines accedit. *L. 4. §. 3. ff. de grad.*

b) *L. 15. ff. de Rit. nupt. c. 5. 8. X de conſangu. & affinit. e. g.*



Concubitus eſt fundamentum affinitatis ſicut generatio conſanguinitatis. Atque in his primaria utriusque differentia ponenda. Deficiente concubitu deficit affinitas. Notetur interim, quod jus civile nullam agnoſcat affinitatem præter eam, quæ ex juſtis nuptiis deſcendit; *L. 4. §. 3. ff. de grad. & affin.* jure Canonico autem eadem per aliam quamlibet & illicitam conjunctionem concilietur *c. 10. C. 35. qu. 3. c. 2. X. de conſangu. & affin. c. pen. X. de eo, qui dux. in matrim. quam adult. poll. gl. in c. 6. X. de eo, qui cognov. conſangv uxor. ſuæ.*

c) Ob-

c) Obſtat, quod affinium nulla ſit ſucceſſio *L. 7. C. Comm. de ſucceſſ.* & conjugi tamen bonorum poſſeſſio, unde vir & uxor detur; verum hoc ſuccedendi jus ex alio capite & minime ex affinitate promanat *L. 1. ff. de act. rerum amotar.*


d) Excluditur inde abuſus loquendi, quo in infinitum fere affines ſeſe appellitant *Carpz. J. E. Lib. II. d. 88. n. 3. ſeqq. c. 5. X. de conſangu. & affin.* Ita enim limites ſunt poſiti, ultra quos affinitatem vagari leges impediunt.


§. IV.


Sunt autem tria, quæ enumerantur affinitatis genera, a) & facili negotio ex ſequentibus regulis poterunt cognoſci: I.) *Quæcunque perſona concumbit cum conſanguineo meo, illa mihi fit affinis in primo genere;* hinc conſanguinei mariti ſunt affines in primo genere uxoris, & conſanguinei uxoris ſunt affines in primo genere mariti. b) II.) *Quæcunque perſona concumbit cum affine meo, in primo genere tali, illa mihi fit affinis in ſecundo genere.* c) III.) *Quæcunque perſona concumbit cum affine meo in ſecundo genere tali, illa mihi fit affinis in tertio genere.* *Affinitatis tria genera.*

genere. d) Quicquid autem hæc affinitatis distinctio faciat ad præsens caput, illud infra patebit.

a) In *c.* 8. *X. de consangu. & affin.* & declarantur in *Gloss. ad idem cap.* cur autem tria & non quatuor, vel forsan sex constituta sint, quærere noli.

b) Sic *Titia*, uxor fratris mei, affinis mihi est in primo genere. *v. c.* 

c) Quodsi mortuo fratre meo, *Titia* nubat *Sempronio*, hic mihi affinis est in secundo genere. *v. c.* 

d) Quodsi *Sempronius*, *Titia* uxore mortua, ducit secundam, hæc secunda in tertio genere affinitatis mihi conjuncta erit *v. c.*  De his generibus vid. *Schneidew. in Comm. ad Inst. de arb. affin. n. 7. sqq. Lauterb. in Coll. Pand. Lib. XXXVIII. tit.* 10. §. 16. *Titius* in der Probe des deutschen geistl. Rechts *Lib. IV. art.* 3. §. 29. *sqq.*

§. V.

§. V.

Posito ita propinquitatis seu cognationis conceptu, quæritur: quomodo proximitas personarum cognoscatur, ut, quousque matrimonium prohibitum sit, intelligatur. Respondeo, hoc fieri per graduum computationem, a) quæ est *investigatio, quam late a se invicem personæ in consanguinitate vel affinitate distent.* b) Hujus computationis *alia est civilis*, secundum leges civiles; c) *alia canonica*, secundum regulas juris Canonici, d) perficienda. Illa in successionibus, tutelis, furtis &c. hæc in matrimoniis & delictis, proxime ad matrimonium accedentibus, obtinet. e)

Propinquitas indagatur per graduum computationem.

Definitio computationis ejusque divisio.

a) Cujus cognitionem utilem & necessariam esse testatur *JCtus in L. 10. ff. de grad. & affin.* Idem fusius ostendit *Schneidew. in Comm. ad Instit. in arbor. consangu. n. 1. & Lipoldus in arbore consangu. & affinit. cap. 8.* ubi fructum hujus doctrinæ in octodecim causis singulariter deprædicat.

b) vid. *Lauterb. Coll. Pand. all. l. §. 1.*

c) *§. 7. J. de gradib. cognat. d. L. 10. L. 1. 3. ff. de grad. & affin.*

d) *c. 2.*

d) *c. 2. C. 35. qu. 5.*

e) vid. *Lipold. d. l. cap. 5. §. 4. & 8. a Beuſt in tr. de matrimon. P. II. cap. 51. B. Mencken in tract. ſynopt. Inſt. L. I. tit. 10. §. 2. in f. ibique LL. Saxon. Philippi Uſ. Pract. Inſtit. L. I. tit. 10. Eclog. 63.* Equidem tertia adhuc ſpecies computationis eaque Saxonica traditur *im Land-R. Lib. I. art. 3.* quæ tamen, prout inventa, receſſiſſe videtur ab uſu.

§. VI.

Quomodo computatio ſit inſtituenda. I. Col. locentur rite perſonæ.

Cum de graduum prohibitione judicare non potueris, niſi computare noveris; paucis, quomodo computandum ſit, videamus. Rectius autem procedes, ſi in computatione inſtituenda hæc tria ſpectes: primo *perſonas*, quæ rite collocandæ; deinde *linearum diverſitatem* & poſtremo *ipſos gradus*. Perſonæ, ut egregie docet *Hoppius*, a) ita collocantur, inchoando nimirum a perſona, de cujus cognatione quæritur, b) omnes perſonæ intermediæ ordine locantur, donec perveniatur ad alteram perſonam, de qua quærebatur. c)

a) In *Exam. Inſtit. Lib. I. tit. 10. qu. 40.*

b) Qua

b) Qua in re nobiscum consentit *Lipoldus d. tr. §. 7.* si de jure civili fit sermo; de jure autem Canonico a communi stipite initium faciendum esse asserit. At incertus remanet stipes communis, nisi prius personæ, de quarum conjunctione quæstio habetur, sint certæ.

c) Ejusmodi series personarum vocatur *arbor consanguinitatis vel affinitatis*, & ideo est excogitata, ut sit quædam quasi ad oculum demonstratio, secundum quam distantiæ personarum inter se discernerentur, ad similitudinem arboris fructiferæ sic dicta. *c. 1. c. 2. C. 35. qu. 5.* Hanc arborem DD. dupliciter sistunt, vel generaliter, qua personæ alicujus tota cognatio depingitur, vel specialiter, qua cognatio personarum quærentium solum repræsentatur. Illius effigies passim deprehenditur in ipso *Corpore Juris Canonici post c. 6. C. 35. qu. 5. apud Carpzovium in arbore consangu. & affinit.* aliosque, *& in Collegio JCtorum Lipsiens.* Explicavit eandem elegantissime *Lipoldus d. tr. c. 4.* Hujus autem schema quilibet privatim componere potest, quod in hac materia utilius est illo, siquidem hic tota familia nunquam consideratur, adeoque confusio, quam parit multitudo personarum, sic evitatur. Conf. *Titius* in der Probe des deutschen geistl. Rechts *Lib. IV. art. 3. §. 5. 6. 7. 35. sqq.*

§. VII.

§. VII.

II. Spectantur lineæ. Definitio lineæ. Divisio linearum.

Collocatis personis ad lineas est respiciendum. Linea a) est *series personarum, quæ inter se junctæ sunt, gradus continens numeroque discernens.* Quatenus una serie personæ sunt collectæ, linea vocatur *recta*, b) eaque vel *superior* sive *ascendens*, si a generatis ad generantes ascendimus; vel *inferior* sive *descendens*, si versa vice a generantibus ad generatos descendimus: c) Quatenus vero series hæc sola non omnes personas considerandas comprehendit, sed quasdam a latere admittit, d) communi stipite retento, linea vocatur *collateralis*. e) Hæc iterum est vel *æqualis*, qua personæ, de quarum cognatione quæritur, pariter a communi stipite distant; f) vel *inæqualis*, qua eædem personæ non pariter distant, sed altera stipiti proximior, altera remotior est. g)

a) Quæ in jure varie accipitur *L. 29. ff. de acquir. rer. domin. L. 26. pr. ff. ad L. Falcid.* imo quandoque cum ipso gradu confunditur, §. 2. *J. de nupt. c. 13. X. de Sponsalib.*

b) *L. 1. pr. ff. de gradib. In L. 9. ff. eod.*

eod. dicitur limes directus. Eſt ergo ſeries eorum, qui genuerunt & qui geniti ſunt, utputa  conf. *Nov.* 118. *in præf.*


c) *L. fin.* §. 7. *ff. de gradib. L.* 4. §. 2. *ff. de in jus voc. L. fin. C. commun. utriusque.* Superior continet parentes, quibus usque ad ſextum gradum nomina ſunt data, reliqui nominantur majores, *d. L. fin.* §. 7. Inferior continet liberos, certa quoque nomina habentes. Qui trinepotem & trineptem ſequuntur, poſteros appellamus.

d) i. e. ubi omnes perſonæ a ſe invicem generatæ non ſunt, communem vero patrem agnoſcunt, utputa 

e) Vocatur & obliqua & transverſalis. Conſiderantur hic ad minimum ſemper duæ lineæ, quarum alterutra reſpectu alterius nominari poteſt collateralis, licet plures lineæ ab eodem ſtipite exiſtant.

f) v. g. duo fratres 

g) Veluti unus frater & alterius fratris



§. VIII.

VII. Numerantur gradus. Definitio gradus & ratio numerandi in conſanguinitate.

Quibus peractis animum advertas ad gradus eorumque numerationem. Eſt vero gradus *diſtantia unius perſonæ ab altera, per generationem conſtituta.* a) Numerando gradus experimur, quam diſtent inter ſe perſonæ & quoto gradu; in ipſa autem computatione inſtituenda utimur hac regula: *Quot ſunt generationes, tot ſunt gradus;* vel ſi ſtipitem demas: *quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus.* b) Hanc regulam in linea recta & jus Civile, & jus Canonicum in effectu ſaltem probat: c) At in linea collaterali jure Civili utrumque latus; jure Canonico unum ſolummódo, d) & quidem in linea æquali alterutrum, in inæquali remotius ſeu longius computatur. e) Ex quo ſequentes regulæ fluunt: *Quoto gradu in linea æquali una perſona a communi ſtipite diſtat, toto gradu diſtant inter ſe;* f) *Quoto gradu*

in

in inæquali linea perſona remotior diſtat a communi parente, eodem quoque gradu collaterales inter ſe diſtant. g) Computatio Canonica in foro eſt recepta. h)

a) §. 7. *J. de grad. L. fin. §. 9. in fin. ff. eod.* Dicitur gradus a ſimilitudine ſcalarum locorumque proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo ad proximum, uti hic v. c. a filio ad patrem tranſeamus *L.* 10. §. 10. *ff. de gradib.* alias vox gradus in jure varios recipit ſignificatus *c.* 1. *&* 2. *diſt.* 77. *L.* 1. *pr. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. L.* 3. §. 20. *ff. de re militar. L.* 28. *pr. ff. de pœnis.*

b) Priorem regulam tradit imperator in §. 7. *J. de grad.* Sic pater & filius unam conſtituunt generationem & ſic unum gradum; filius & nepos alterum. Et hic vere in ſchemate ſpatia ſeu diſtantiæ numerantur. Altera regula originem debet juri Canonico, qua tamen idem efficitur: utrum enim intervalla, quæ intercedunt perſonas, an ipſas perſonas connumerem, perinde eſt.

c) Vid. *Schneidew. in Arb. Conſangu. n.* 10. *& Lauterb. in Colleg. Pandect. Lib. XXXVIII. tit.* 10. §. 10.

d) Cur unum latus jure canonico tantum numeretur, canonistæ hac utuntur ratione: ne multiplicentur gradus & in immensum crescat numerus, licet talis computatio verioribus principiis vix respondeat. Sic enim personæ prorsus diversæ respectu unius personæ in eodem gradu sunt. *Lauterb. all. l.* §. 11.

e) *c.* 2. 4. *sqq. C.* 35. *qu.* 5. *c.* 3. *X. de consangu. & affin.* ubi per generationem liberi ejusdem patris omnes conjunctim intelliguntur; hinc duo fratres unum constituunt gradum & initium tribuunt lineæ collaterali. Ejus rei Canonistarum ratio hæc est: quia nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas. *all. c.* 2. §. 1. *in f C.* 35. *qu.* 5. Sed numeris omnibus absoluta non est.

f) Numeres latus, quod velis, sic v. g. duorum fratrum liberi inter se distant duobus gradibus, quia quilibet eorum a communi parente itidem duobus gradibus distat



g) vid. *c. f. X. de consangu. & affin.* Sic fratris mei filia, quoniam juncta est patri meo

meo in gradu secundo, non aliter mihi con-

juncta censetur. 

h) vid. *supr. h. cap. §. V. not.* e)

§. IX.

Ratio numerandi in affinitate.

Eadem graduum computatio & applicari poterit ad affinitatis conjunctionem indagandam. Sunt enim quoque in affinitate ascendentes, descendentes & collaterales; a) ergo & lineæ. Dantur & gradus, quos ego ne quidem improprie tales vocarem. b) Igitur & hic rite collocentur personæ; spectentur lineæ; numerentur gradus. Ut tamen eo facilius hæc dinumeratio procedat, regula observetur sequens: *Quoto gradu mihi conjunctus est consanguineus, qui initium fecit affinitatis: eodem gradu mihi affines sunt constituti.* c) Equidem generum diversitas hic quoque solet attendi; gradum vero non mutat, quippe semper in computatione hac respicitur ad consanguineum, affinitatem primum constituentem. d)

a) *Lauterbachio* teste *in Colleg. Pand. L. XXXVIII. tit.* 10. §. 14. Imo indoles affinitatis idem demonstrat: Nam v. c. uxoris meæ cognati sunt mei affines; hos autem ex numero ascendentium æque ac descendentium & collateralium esse posse, quis est, qui non videt?

b) *cum Titio* in der Probe des deutschen geistl. Rechts *Lib. IV. art.* 3. §. 28 Nec videor carere fundamento: absolvitur enim graduum essentia per distantiam, intercedentem duas personas, & quidem per generationem, quod utrumque in affinitate deprehenditur. Sic eadem est distantia inter me & uxoris meæ sororem, quam inter uxorem atque sororem: sumus enim ego & uxor una caro. Hæc vero distantia aliter exoriri non potuit, nisi per generationem, licet ego ipse non generaverim, quippe quod nunquam in legibus requiritur. Ita videlicet inter me & fratrem meum est gradus, quanquam alter ab altero progenitus dici nequit. Et ipsæ leges hanc opinionem tuentur, cum in *L.* 10. *pr. ff.* de gradibus dicatur: JCtum gradus affinium nosse debere, & *in c.* 3. *C.* 35. *qu.* 5. non aliam esse graduum computationem in arbore affinitatis, quam in arbore consanguinitatis, quia maritus & uxor sunt una caro. Qui asserunt, nullos ideo dari proprie

prie gradus in affinitate, quod affines non generantur, confundere videntur affinitatem constituendam cum ipsis gradibus, & perfecta semel affinitate, affines omnino generantur; quo certo *ex §. 7. J. de grad.* recte asseritur, quod persona generata etiam affinibus adjiciat gradum: E contrario *L. 4. §. 5. ff.* de grad. de eo accipienda videtur, quod affinitas non diversos agnoscat gradus, sed hac in re stricte conveniat cum consanguinitate. vid. *Schneidew. in arb. affin. n. 10.*

c) Ab aliis ita ponitur regula: Quoto gradu quis conjunctus est conjugi uni in consanguinitate: eodem gradu idem conjunctus est conjugi alteri in affinitate. Sic v. c. si quæro, quo gradu patrui mei nurus mihi sit juncta, ita ponendum est schema



& erit mihi affinis in gradu secundo. vid. *c. 3. C. 35. qu. 5. c. pen. X. de consangu.*

d) Addita enim per carnis copulam persona mutat genus attinentiæ, non gradum. *Gl. ad c. 8. X. de consangu.* Sic alio genere mihi conjuncta est fratris mei uxor, quæ affinis est, quam ipse frater, qui consanguineus manet. Sicut autem frater:

ita & ejus uxor mihi in primo gradu jungitur. Idem de secundo & tertio genere affinitatis. *Schneidew. d. l. n. 8. Lauterb. all. l.* §. 15.

§. X.

Regula prohibitionum in consanguinitate.

Jam de prohibitione. Hæc intuitu consanguinitatis ex regulis, quæ sequuntur, satis cognoscitur: *In linea recta prohibitum est matrimonium in infinitum*; a) atque in eo conspirant omnia jura, divina æque ac humana. b) *In linea collaterali prohibitio nuptiarum est inter fratres & sorores easque personas, quæ sibi sunt parentum & liberorum loco*, idque jure divino revelato & civili; c) *Cessante vero parentelæ respectu, qui toties adest, quoties altera persona immediate, altera mediate stipiti subest communi*, d) *jure Canonico usque ad gradum quartum*, e) *jure Saxonico usque ad gradum tertium lineæ inæqualis* f) *matrimonium prohibetur.* g)

a) In tantum, ut, si Adam & Eva, primi nostri parentes, adhuc in vivis existerent, ad secunda vota transeundi potestatem habere non possent, ut loquitur *Gloss. in L. 53. ff. de Rit. nupt.* Ratio ponitur in eo,

eo, quod sic naturalis reverentia lædatur, vel etiam sanguis contra placitum divinum commisceatur. add. *L.* 14. *ff. de Rit. nupt. Nov.* 12. *c.* 1. *Et Zieglerus ad Grot. de J. B. & P. L. II. c.* 5. *n.* 12. inquit: *naturale & ingenitum est, ut homo aversetur carnes sui generis.*

b) *Levit. c.* 18. *v.* 6. 7. 8. 10. 15. §. 1. *J. de nupt. L.* 14. §. 2. *L.* 53. *& L. fin. ff. de Rit. nupt. c.* 17. *&* 18. *C.* 35. *qu.* 2. Churfürstl. Sächs. Kirchen-Ordn. *tit.* von Ehe-Sachen *membr.* Welchen Personen sich in Ehegelöbnisse mit einander einzulassen verbothen. Ehe-Ordn. *Punct.* 2. *vers.* die Personen, welche den Nahmen Vaters oder Mutters, *& vers.* Würden sich aber solche Personen.

c) *Levit. c.* 18. *v.* 9. 12. 13. 14. *& c.* 20. *v.* 19. §. 2. 3. 4. 5. *J. de nupt. L.* 17. *C. de nupt. L. fin. C. de incest. nupt.* Et quæ dicta sunt, non tantum de fratre germano, sed & consanguineo & uterino capiantur. *Levit. c.* 18 *v.* 9. 11. Neque interest, uti jam monitum, ex justis nuptiis cognatio descendat, an non, *L.* 54. *ff. de Rit nupt.* Imo & jure Saxonico cum illis, qui parentum loco nobis sunt, copulari prohibemur. *Ord. Eccl. rubr.* von Ehe-Sachen, *tit.* Welche Personen. §. die

Personen, welche Seithalber einander ꝛc. *vers.* Wie denn auch Niemand sich mit des Großvaters Vater, oder der Großmutter Mutter Geschwister, weil dieselbe der Eltern statt halten, ehelich verloben soll. *Gerhard. loc. de Conjugio* §. 285. Jure vero naturali in linea collaterali omnis cessat prohibitio: qui enim horrorem naturalem causam prohibitionis ponunt, fingunt, non probant.

d) *arg.* §. 5. *J. de nupt.* & *L.* 39. *ff. de Rit. nupt.*

e) *c.* 8. *X. de consangu.* & *affinit. c.* 3. *X. de cland. desponſ.* Ratio hæc affertur: quia quatuor sunt in corpore humores, qui constant ex quatuor elementis. Quæ qualis? Interim hoc jure, non nisi in quinto gradu, sunt concessa matrimonia, quod in eo rursus limitationem patitur, si ex una parte remotioris personæ sit quintus, ex altera vero primus, quo casu personæ copulari interdicuntur, quia primus gradus loco parentum est.

f) Churfürstl. Sächs. Landes-Ordnung *de an.* 1543. *tit.* von Graden, darinne die Ehe verbothen. *it.* Kirchen-Ordnung *rubr.* von Ehe-Sachen. *membr.* welchen Personen. §. zum andern.

dern. *it.* Ehe-Ordn. *Punct.* 2. §. zum andern.

g) Omnium harum lineæ collateralis prohibitionum exemplum sistit sequens schema:



Jus divinum & Civile.

Jus Saxonicum.

Jus Canonicum.

§. XI.

Cum eadem fere sit in affinitate, quæ in consanguinitate, graduum prohibitio; hæc construenda est regula: *Quoto gradu matrimonium prohibetur in consanguinitate: eodem gradu & prohibitum est in affinitate.* a) Igitur in linea recta in infinitum est prohibitio nuptiarum, inter affines omnis generis. b) In linea collaterali distinguas genera: c) primi generis affines jure Divino, Civili, Canonico & Saxonico eodem modo, ut in consanguinitate, prohibiti sunt copulari; d) secundi generis affines tunc coire


Regulæ prohibitionum in affinitate.

coire prohibentur, si adest parentalis respectus; e) jure Saxonico autem etiam cessante parentali respectu in casu singulari; f) tertii generis affines impune matrimonium contrahunt. g)

a) §. 6. 7. *J. de nupt. c.* 1. *& pen. X. de consangu. & affin.* Churfürstl. Sächs. Kirchen-Ordnung *rubr.* von Ehe-Sachen, *membr.* welchen Personen ꝛc. §. zum dritten. *it.* Ehe-Ordn. *Punct*: 2. §. zum dritten. *Wesenbec. ad* §. 6. *J. de nupt.* affinitas enim est simulacrum consanguinitatis.

b) De jure divino vid- *Levit. c.* 18. *v.* 8. 15. 17. *c.* 20. *v.* 11. 12. *Devt. c.* 27. *v.* 20. 23. 1 *Cor. c.* 5. *v.* 1. *Ezech. c.* 22. *v.* 11. Equidem hæc tria genera affinitatis juri divino sunt incognita; at ejus dispositio tam est generalis, ut tutissimum sit abstinere a nuptiis, cum affinibus in linea recta perpetuo. Nec jus civile hæc tria genera agnoscit, licet in *L.* 15. *de Rit. nupt.* secundi generis inveniatur vestigium, & *in* §. 6. 7. *J. de nupt. L.* 14 §. 4. *ff. de Rit. nupt.* non nisi nuptiæ affinium primi generis prohibeantur; sed cum adjecta inveniatur ratio: *quia ejusmodi affines sibi parentum liberorumque loco sunt*; jam vero *ex L.* 4. §. 7. *ff. de grad. L.* 53. *ff.* & *L.*


& L. 17. C. de nupt. matrimonium inter eas perſonas conſiſtere nequeat; hinc merito & hujus juris prohibitio ad juris Canonici inventum, ſcilicet tria genera affinitatis erit trahenda. De jure Canonico vid. c. 12. c. 15. C. 35. qu. 2. neque obſtat c. 8. X. de conſangu. & affinit. ubi hæc genera ſunt ſublata; nam hoc caput pertinet ad lineam collateralem. Berger. Oecon. Jur. Lib. I. tit. 3. §. 5. n. 2. Jus Saxonicum idem jubere videtur. Conf. Churfürſtl. Sächſ. Kirchen-Ordn. rubr. von Ehe-Sachen, membr. welchen Perſonen ſich mit einander. pr. it. Ehe Ordn. Punct. 2. pr. Sächſ. Landes-Ordn. de an. 1580. rubr. Folget nun von Perſonen und Graden, ſo von der Schwägerſchafft zu ehelichen verbothen. Carpz. J. E. Lib. II. def. 101. quidem aſſerit, prohibitionem tantum eſſe usque ad ſecundum genus in linea recta: ſed rationes ab eodem adductæ vix tertium excludunt. Schultz. de arb. conſangu. & affin. c. 8. membr. I. n. 57. 69. Gerhard. loc. de conjugio

§. 353. v. c. 

c) Olim quidem unumquodque trium affini-

affinitatum genus, intra certos gradus, matrimonii prohibitionem obtinuit; Primum usque ad septimum gradum *c. 1. c. 7. c. 19. C. 35. qu. 3.* secundum usque ad quartum *c. 3. C. 35. qu. 3.* tertium usque ad secundum. *c. 22. C. 35. qu. 3.* quod postea mutatum in *c. 8. X. de consangu. & affin.*


d) *Levit. c. 18. v. 14. 16. 18. & c. 20. v. 20. 21. L. 5. L. 8. L. f. C. de incest. nupt. c. 8. C. 35. qu. 3. c. 7. X. de eo, qui cogn. consangu. ux. c. pen. X. de consangu. & affinit.* Churfürstl. S. R. Ordn. *rubr.* von Ehe-Sachen, *membr.* welchen Personen ꝛc. §. zum dritten. *Carpz. J. E. Lib. II. def. 88. sqq. v. c.*




e) Ne quidem hoc expresse prohibitum est, attamen DD. a consanguinitate argumentum ducunt; ideoque matrimonium inter tales personas prohibitum volunt, & non solum hunc casum, ubi parentalis reverentia intervenit, reprobant; sed & ea cessante, matrimonium saltem dissuadent ad appellationum confusiones, & cognatio-

nis

nis turbationes vitandas. *Carpz. J. E. Lib. II. def.* 101. *n.* 22. *sqq. Gerhard. d. l.* §. 358. Mores quidem in terris protestantium variant: at prior casus in plurimis locis interdictus censetur, quod *Strykius* testatur *in Us. Mod. Lib. XXIII. tit.* 2. §. 18. Exemplum tale est.



f) Quo scilicet v. c. uxoris meæ fratris viduam ducere non possum, quod tamen usualis interpretatio seu consuetudo, teste *Bergero in Oecon. Jur. Lib. I. tit.* 3. §. 5. *n.* 2. *introduxit, utputa.*



g) *arg. c.* 8. *& fin. X. de consangu. & affin. Nec aliud usu servatur. Stryk. Us. Mod. all. l.*

§. XII.

Si quædam personæ, in gradibus prohibitis conjunctæ, matrimonium inire velint, id ipsis sine dispensatione concedendum non est. a) Cum vero nemo obli-

Nuptiæ in gradibus prohibitis non nisi dispensatione impetrata, subsistunt.

obligationem remittat, nisi cujus auctoritate leges valent; b) in aprico est positum, nullam in foro soli, super gradibus, lege divina prohibitis, dari posse dispensationem. c) Quodsi de facto contra divinam voluntatem matrimonium, sive inter ascendentes & descendentes, sive inter collaterales contractum sit, nullum est, & ejusmodi, conjuges separandi. d) De prohibitionibus juris humani nullum est dubium, quin princeps, legislator, dispensare possit. e) Quousque hæc dispensatio admittatur, ex ante dictis satis apparebit. f)

a) Hic enim prohibitionis est effectus, ne quis impune faciat, quod superior vetuit.

b) Siquidem nemo nos potest a legis vinculo liberare, præter illum, cui nos intelligimus subjectos.

c) Superior enim cum inferioribus, domino dominorum subjectus, obedientiam debet. Nec Deus concedit hominibus mandati sui abolendi potestatem; hinc regula tenenda, quæ communiter traditur: *prohibitiones juris divini esse perpetuas.* Imo si dubium sit, an aliquis casus v. g.

Levit.

Levit. c. 18. *&* 20. expresse relatus, an vero similis in iisdem gradibus sub prohibitione contineatur, tutius & conscientiæ consultius videtur, dispensationem denegare, monente *Strykio in Us. Mod. de Rit. nupt.* §. 21. 22. Quicquid vero *Schneidew. de arbor. affin. n.* 22. adducit, quosdam canonistas in ea fuisse sententia, papam ex causa posse dispensare, etiam in gradibus, divina lege prohibitis, id ipsum ab eodem *Schneidew.* jam satis confutatum est. Et in contrarium veritas vel exinde patet, quod papa usque ad animam & sanguinem legem divinam defendere teneatur. *c. 6. C.* 25. *qu.* 1.

d) Quicquid enim contra præceptum Dei est peractum, illud reparari debet. *Titius* in der Pr. des deutschen geistl. Rechts *Lib. IV. art.* 3. §. 59. 60. Admittendum tamen fortassis erit, quod *Stryk. all. l.* §. 22. asserit, inquiens: *cum res insignis præjudicii sit, dissolvere matrimonium; præsertim cum ejus prohibitio non adeo liquida sit, tolerandum potius, quam ut tot aliis incommodis inde fluentibus ansa præbeatur.*

e) Rationem, cur humanæ leges juri divino novas addiderunt prohibitiones, *Schneidew. l. c.* hanc elegantem suppedi-

tat: ut prohibitiones divinæ majori reverentia observarentur. Ex quo fluit, dispensationem humani juris ne quidem impetrari debere, nisi magna urgente causa, quæ, quatenus admittenda, dispensatoris arbitrio merito est relinquenda.

f) Repetantur nimirum h. l. schemata, quæ supra tam de consanguinitate, quam de affinitate sunt exposita.

§. XIII.

Cessante propinquitate cessat ob eandem prohibitio.

Ubicunque autem inter personas nulla nec consanguinitas, nec affinitas deprehenditur: ibi & prohibitio saltem ex capite propinquitatis nulla est statuenda. a) Sic utriusque conjugis consanguinei nec hodie matrimonium inire prohibentur; b) sic duo fratres recte ducunt duas sorores; c) sic comprivigni valide inter se nuptias celebrant, licet frater, vel soror communis adsit. d)

a) Quod per se patet; quippe causa cessante, merito cessabit effectus.

b) Inter hos enim nulla contrahitur affinitas *c. 5. X. de consangu. & affin.* Ita quoque accipiendus est *Modestinus in L. 4. §. 3. ff. de grad.* ubi ait: *affines sunt*

sunt viri & uxoris cognati, scilicet non inter se, sed cum viro & uxore. Stryk. Us. Mod. cit. l. §. 19.

c) Ob eandem rationem, quoniam nulla intercedit propinquitas.

d) Itidem huc facit ratio allata. *conf.* §. 8. *J. de nupt. add. c.* 5. *all. X. de consangu.* De jure autem divino dubium movetur, maxime si frater, vel soror communis adest, ob *Levit. c.* 18. *v.* 11. sed frustra: loquitur enim hic juris divini textus de prole, quam patri peperit noverca in matrimonio secundo. Cum hac conjungi interdicitur privignis. *Gerhard. d. l. de conjug.* §. 357. *Carpz. J. E. L. II. def.* 105. Casus est sequens:



§. XIV.


Tantum de prohibitione ex propinquitate. Jam de legis singulari dispositione, quæ primo honestatem respicit. Cum enim Leges in conjunctionibus non solum, quod licet, sed &, quod honestum est, observandum jubeant; a)

Lex singularis prohibens I. respicit honestatem.

efficitur inde, ut nulla nec consanguinitate, nec affinitate interveniente, ob solam honestatem matrimonium prohibeatur, cum quasi privigna, b) cum quasi noverca, cum quasi nuru, c) cum persona in statu servili veritaque cognatione constituta, d) & jure Saxonico cum novercæ vel vitrici matre & cum novercæ vel vitrici patre. e)

a) Uti expresse habetur *in L. 42. ff. de Rit. nupt.*

b) §. 9. *J. de nupt. L.* 12. §. 3. *ff. de Rit. nupt.* Est autem quasi privigna, quam uxor alicujus, post divortium, ex alio marito procreavit. v. c.



c) §. 9. *J. de nupt. L.* 12. §. 1. 2. *ff. de Rit. nupt.* Quasi noverca est sponsa patris; quasi nurus est sponsa filii. Imo sponsæ defunctæ matrem sponsus ducere non potest; hanc enim matrem fuisse socrum, Augustus interpretatus est in *L.* 14. *in f. ff. eod.* Quod etiam jus Saxonicum probat. **Churfürstl. Sächs. Landes-Ordn.** *de an.* 1580. *rubr.* **Folget nun von**

von Perſonen und Graden, ſo von der Schwägerſchafft. §. 1. *n.* 4. 5. De jure Can. vid. *c.* 6. *X. de deſponſ. impub.* quo, ſi puella intra nubiles annos alicui deſponſata fuerit, non licet alicui de conſanguinitate ipſius, cui deſponſata fuerit, eam ducere in uxorem: nec fas eſt eidem ſponſo de conſanguinitate ſponſæ ſibi aliquem copulare. Solet tamen hiſce caſibus, ut & ſi quis ſponſam fratris defuncti, & ſponſæ denatæ ſororem ducere velit, diſpenſatio concedi, modo urgentibus circumſtantiis deſponſatorum ſuperſtes jurejurando ſe purget, copulam carnalem non interveniſſe. *Schilter. ad Pand. Exercit.* 36. §. 37. *Carpz. J. E. L. II. def.* 120. 121. *Mencken. tract. ſynopt. Inſtit. Lib. I. tit.* 10. §. 10.

d) §. 10. *J. de nupt. L.* 14. §. 2. *ff. de Rit. nupt.* licet enim ſervi in *L.* 32. *ff. de reg. jur.* pro nullis reputentur, aliud tamen eſt, ubi de naturali pudore quæſtio occurrit, uti hic, quod jure Canonico imprimis eſt obſervandum, quo cum ſervo verum eſt matrimonium, de quo ſupra. vid. *c.* 1. *X. de conjug. ſervor.*

e) Churfürſtl. Sächſ. Landes-Ordnung *de anno* 1580. *rubr.* Folget nun von Perſonen und Graden, ſo von der

Schwägerſchafft zu ehelichen verbothen. §. 3. *n.* 1. 2. §. 2. *n.* 1. 2. *v. c.*



§. XV.

Et. rationem civilem.

Ex civili ratione a) jungi prohibebantur Senator libertinæ, aut alius nobilis perſonæ vili, ob dignitatis imparitatem, b) quæ tamen jure noviori ejusmodi nuptiis impedimento eſſe deſiit; c) item præſes provinciæ provinciali, aut quacunque alia poteſtate præditus ei, quæ ejus jurisdictioni erat ſuppoſita, ideo, quod maxima poteſtate gaudentes, fœminam ſibi ſubjectam terrere atque concutere potuerint. d) Uterque caſus in praxi caret uſu. e)

a) §. 11. *J. de nupt.*

b) Durante hac dignitate, vel niſi fœmina hoc vile conſortium reliquerit. *L.* 23. *L.* 27. *L.* 42. §. 1. *L.* 58. *ff. de Rit. nupt. L.* 3. *C. de nupt.* Ratio adducenda eſt ex *Livio* quidem & *Dione*: ſuum nempe ſanguinem hac commixtione contaminari, jura gentium confundi, auſpicia publica privata-

vataque perturbari &c. Sed parum ponderis hæc omnia habent. Veriores hæ erant: ne plebs nimium familiaris evaderet cum patriciis, ideoque hi forſan plebem ſub jugum reducere ita commode amplius non poſſent. *Stryk. Uſ. Mod. tit. de Rit. nupt.* §. 6.

c) *L.* 23. *&* 7. *C. de nupt. Nov.* 78. *c.* 3. Jure Canonico pariter conditio perſonarum non attenditur, in tantum, ut meretricem ducens laudetur beneque mereatur. *c.* 14. *C.* 32. *qu.* 1. *c.* 20. *X. de Sponſal.*

d) *L.* 38. *L.* 57. *ff. de Rit. nupt. L. un. C. ſi quacunque prædit. poteſt.*

e) De utroque conf. *Stryk. Uſ. Mod. d. l.* §. 6. *&* 11. ſcilicet impar matrimonium hodie eſt validum, ut inter nobilem & plebejam, licet *Carpz. J. E. L. II. def.* 9. illud ad rixas & contentiones conjugum & cognatorum effugiendas diſſuadeat. Quomodo pactis hæ nuptiæ ſoleant reſtringi, tradit *Lauterb. Colleg. Pand. tit. de Rit. nupt.* §. 72. Poteſtas autem, qualiscunque ſit, hodie non impedit, quominus ſibi ſuppoſitam in uxorem quis ducere valeat.

§. XVI.

Ratio Civilis ulterius communicatur.

Itidem ratio civilis se exerit in adoptione, qua Romani cognationem aliquam contrahi fingebant, a) adeoque matrimonium reprobabant non solum inter adoptantem & filiam adoptatam, sed etiam inter fratres & sorores, b) quod hodie nondum reperitur mutatum. c) Idem cautum est de matrimonio inter tutorem & pupillam, ubi Romani periculum intervertendarum rationum metuebant d) & in fœmina metum reverentialem præsumebant. e) Mores ab hac civili sanctione paululum recesserunt, tutorique, redditis tutelæ rationibus, pupillam nubere posse permiserunt. f)

a) Nam adoptio imitabatur naturam §. 4. *J. de adopt.* unde per adoptionem personas loco parentum liberorumque esse credebant. §. 1. *J. de nupt.*

b) Et in linea recta hæc cognatio, matrimonium prohibens, dissoluta etiam adoptione, durabat; in linea vero collaterali adoptio, quamdiu constabat, nuptiis erat impedimento §. 1. 2. *J. de nupt. L.* 17. *ff. de*

ff. de Rit. nupt. Idem est jure Canonico *c. un. X. de cognat. leg.*

c) Conf. *Philippi Us. Pract. ad Instit. L. I. Eclog.* 73, *n.* 2, hinc in hodiernis nuptiis contrahendis adhuc attendenda, licet alii ejus usum in dubium vocent. Igitur *Stryk. in Us. Mod. tit. de Rit. nupt.* §. 14. optime censet, principis dispensationem & hodie hic esse impetrandam.

d) Quod etiam de Curatore ejusque adulta intelligendum est *L.* 36, *L.* 37. *L.* 66. *ff. de rit. nupt. L.* 7. *C. de interd. matrim. inter pupill.* nisi ipse defunctus pupillæ pater virginem nuptiis tutoris, aut ejus filii destinaverit. *d. L.* 36. *pr.*

e) Ne scilicet pupilla, uxor facta, propter reverentiam, marito debitam, restitutionem in integrum petere impediatur; hinc jure veteri antequam pupilla annum 26. egressa fuerit, tutori nubere non poterat, *L.* 66. *ff. de Rit. nupt.* quod tempus jure Codicis ad annum usque 29. extensum est. *L. fin. C. de temp. in integr. restit. L.* 6. *C. de interd. matrim. int. pupill.*

f) vid. *Brunnem. ad d. t. C. de interd. matrim. int. pup. & tut. Stryk. in Us. Mod. tit. de Rit. nupt* §. 10.

§. XVII.

Ratio civilis & in delictis perspicitur.

Denique etiam Leges civiles delictorum rationem habuerunt, ac proinde matrimonium interdictum voluerunt inter raptorem & raptam, propter adhibitam violentiam. a) At jure Canonico b) & moribus tale matrimonium toleratur. c) Ita porro ex civili dispositione nemo poterat ducere in uxorem, quam ante adulterio polluerat, d) ne delinquentibus præmia constituerentur; sed & hic aliud de jure Canonico est dicendum, quod etiam hoc matrimonium non improbat, dummodo delinquentes, constante priori matrimonio, futurum sibi invicem non promiserint, nec insidias conjugi jam defuncto struxerint. e) Idque mores sequuntur. f)

a) *L. un. §. 1. C. de rapt. virg.* ubi ita Imperator. *nullo modo nulloque tempore datur a nostra serenitate licentia, eis consentire, qui hostili more in nostra republica matrimonia student sibi conjungere. add. Nov.* 143. *&* 150.

b) Accedente nimirum voluntate parentum, ut loquitur *c.* 8. *& c.* 10. *C.* 36. *qu.* 2. Licet autem parentes reclamarent, pontifex

fex tamen, raptum non dici, ubi nil ante de nuptiis agitur, statuit *in c. pen. & ult. X. de raptor.* Singularis matrimonii favor inde patet; alibi enim jus Canon. propter violentiam illatam desponsatis excusandi facultatem concedit *c. 9. X. de desponsat. impub.*

c) *Harpprecht ad §. 8. J. de publ. judic. Stryk. in Us. Mod. tit. de R. N. §. 9.*

d) *L. 13. ff. de his, quæ ut indign. auf. L. 27. C. ad L. Jul. de adult. Nov. 134. c. 12.*

e) *c. 2. C. 31. qu. 1. c. 2. 3. & 6. X. de eo. qui dux. in matrim.*

f) *Carpz. J. E. L. II. d. 14. 15. Stryk. Us. Mod. c. l. §. 8.* qui tamen non immerito monet, omnino præstare, ut adulteris tale matrimonium penitus interdicatur, cum vix adulterium committatur, quod non cum clandestina promissione fiat & clancularíis machinationibus & insidiis careat, quæ non semper erumpunt.

§. XVIII.

III. Lex prohibens recit Canonem rationem earum in spiritualem cognatio-

Restant pauca de singulari canonica dispositione proferenda, quæ præter vinculum naturale spiritualem induxit cogna-

cognationem. Hæc nascitur inter susceptos ex sacro baptismate & susceptores, horumque liberos; a) Neque incognita ea plane fuit juri Civili, b) ut & antiquis Germanorum consuetudinibus. c) Protestantes tamen, licet principium negent, d) principiatum saltem amplecti videntur, quoniam nulla lege recentiori hæc cognatio sublata est; e) Quare *Strykius* suadet, tutius esse in hoc casu, si partes petant dispensationem, nisi forsan contraria consuetudo adsit. f)

a) *c.* 1. *C.* 30. *qu.* 1. *c.* 1. 2. 3. *C.* 30. *qu.* 3. *tot. tit. X. de cognat. spirit.* Nam susceptione filii fieri dicuntur *c.* 105. *dist.* 4. *de consecrat.* Ex quo factum, ut jus Canonicum hanc cognationem late protenderit, imo contractus jam nuptias dissolvendas jusserit. *c. f. de cognat. spirit. in 6to.*

b) *De quo L.* 26. *C. de nupt. ibi: nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animæ eorum copulatæ sunt.* Absit tamen, ut ipsa cognatio

tio ſpiritualis ex hoc jure derivetur, quod inſuper ad ſuſceptores & ſuſceptos tantum reſpexit.

c) Uti hoc apparet ex *Gloſſa Saxonica* im Land-Recht *Lib. I. art.* 3. *n.* 7. Nach der Gevatterſchafft nimmt man kein Erbe, kommt auch nicht zur Vormundſchafft, ſondern ſie hindert allein an der Heyrath und dem Eheleben.

d) *vid. Gerhard. in loc. de conjug.* §. 364. *ſqq. Carpz. J. E. Lib. II. def.* 74. *n.* 10. *Ipſe Lutherus in Libello* vom ehelichen Leben, *P. I. fol.* 165. *inquit:* Sage mir, iſts nicht gröſſer, wenn ich die Tauffe ſelbſt nehme, denn wenn ich darzu helffe? So müßte ich nun kein Chriſten-Weib nehmen.

e) Imo ſi etiam ceſſaret canonum valor, tamen adhuc viget jus civile, cui, ſi non derogatum, neque auctoritas deneganda eſt.

f) *in Uſ. Mod. L. XXIII. tit.* 2. *de Rit. nupt.* §. 12.

§. XIX.

Datur & alia cognatio, quam pœnitentialem canoniſtæ vocant. Exoritur ea *Ut & in cognatione pœnitentiali.*

ea inter illum, qui aliis est a confessionibus, & inter eos, qui eidem peccata confitentur: siquidem inter ejusmodi personas parentum & liberorum conditio intercedere dicitur, a) earumque nuptiis obstaculum hac ratione paratur. b) Sed jam inter ipsos pontificios hæc sententia valere desiit, cum clericis omnibus matrimonium sit interdictum. c) Apud Protestantes, observantia teste, idem hoc caret usu, licet clericis uxorem ducere liberum sit, neque canones hac parte nos stringunt, dum circa confessionem nostra principia a principiis Romano-catholicorum longe sunt aliena. d)

a) Ita asseritur *in c. 8. C. 30. qu. 1.* omnes, quos in poenitentia accipimus, ita filii nostri sunt, ut in baptismate susceptí.

b) *c. 10. C. 30. qu. 1.* ubi simul poena eorum, qui contrafaciunt, est determinata.

c) De quo vid. §. *sequentem.*

d) Sic Romano-Catholici poenitentiam sacramentis annumerant, ex quo forsan ipsa cognatio poenitentialis derivanda; quod autem

autem a nobis valde in dubium vocatur negaturque. Conf. *Schilter. Instit. Jur. Canon. Lib. II. tit.* 4. §. 1. *n. b.*

§. XX.

Effecit denique sola canonica ratio, ut clerici pontificiorum nuptias ambire nequeant. a) Causam hujus prohibitionis hanc reddit pontifex: quoniam cithara in ejusmodi conversatione cum psalterio male concordat, & vir, cum cogitet, quomodo placere possit uxori, ideo minus, quæ Dei sunt, valet cogitare. b) Sed huic sententiæ nec Jus Civile, c) nec jus antiquius canonicum d) adstipulatur. Et quid? cum ipsa scriptura sacra haud obscure pugnare videtur; e) qua de re nostrates eandem opinionem justo relinquunt liberamque clericis matrimonium contrahendi potestatem concedunt. f) *Tandem in clericis.*

a) Prohibitum enim plane est conjugium clericorum vid. *tot. tit. X. de cleric. conjugat. c.* 8. *X. de convers. conjug. Clement. de consangu. & affinit.*

b) Uti eadem verba sunt *in c.* 5. *X. de cleric. conjugat.* Quid de hac ratione addu-

adducta sentiendum sit, quilibet facile intelliget.

c) *L. 2. §. fin. C. de Episcop. & Cleric.* ubi palam sermo fit de conjugio clericorum horumque liberis.

d) *c. 14. & 15. dist. 28. c. 12. & 13. dist. 31. ubi in all. c. 14.* hæc leguntur: *si quis docuerit, sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit.*

e) Etenim *1 Timoth. c. 3. v. 2.* inter virtutes episcopi coelibatus non refertur, sed potius unius uxoris vir esse præcipitur. Et cap. sequ. Apostolus doctrinas dæmoniorum appellat, quæ prohibent nubere.

f) Conf. *Gerhard. de ministerio §. 333. Carpz. J. E. Lib. II. def. 4.*

Caput VI.

De Effectu Nuptiarum.

§. I.

Effectus nuptiarum competunt vel utriqué conjugum vel uni.

Nuptiæ legitime celebratæ varios producunt effectus, sicut e contrario, quæ

quæ nefarie ac inutiliter sunt initæ, promeritam pœnam sperantur. a) Illarum effectus egregie, ut opinor, exposuit *Lauterbachius*, b) cujus ordinem hac in re sequar. Competunt autem ea, quæ ex justis nuptiis fluunt, *vel utrique conjugi* communiter, *vel alteri utri* conjugum singulatim. c) De pœna injustarum nuptiarum in fine dicam.

a) Nihil enim facile, imprimis in jure nostro peragitur, quod non post se trahat, vel commodi quid, vel damni.

b) In *Colleg. Pand. Lib. XXIII. tit. 2. de Rit. nupt.* §. 80. *sqq.*

c) Illi communes; hi autem proprii effectus vocantur.

§. II.

Communiter efficiunt nuptiæ, ut conjuges una caro fiant; unde communiter quoque fluit communicatio corporum, quam ipse Deus probat: a) perpetua atque mutua cohabitatio, ita, *Effectus communes.*

ut pars recedens judicis auctoritate possit eo redigi: b) communicatio secundæ & adversæ fortunæ: c) communicatio denique bonorum & administratio œconomica. d)

a) *Gen. c. 2. v. 24. Matth. c. 19. v. 6. Marc. c. 10. v. 8. add. 1 Cor. c. 7. v. 3. 4. 5. & c. 11. v. 11. 12.*

b) *c. 13. X. de restit. spoliator.*

c) *L. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* ibi: *nihil tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, & uxorem viri participem esse.*

d) Scilicet conjuges & corpore, & substantia & omni vita fungi quoad effectum saltem cupiunt; inde hoc modo propriæ satisfaciunt intentioni.

§. III.

Effectus marito proprii iisdem commoda continentes.

Marito proprii sunt effectus, ejus vel commoda, vel onera continentes. Commodum mariti est gubernatio domestica & imperium, seu jus in personam & bona uxoris, quod vulgo jus mari-

maritale appellant. a) Ita vir dicitur caput ex præcepto divino b) & humanarum Legum auctoritate; c) neque poterit huic favori renunciare, d) licet idem jus, in bona uxoris competens, pactis optime possit restringi. Gaudet itaque maritus castigandi facultate uxorem; e) absit tamen omnis atrocitas atque sævitia, ne pœna se dignum reddat. f)

a) *Stryk. in Us. Mod. tit. de Rit. nupt.* §. 36. Jus in bona uxoris plenius est in dotalibus *t. t. ff. de jure dot.* in ceteris administratio aut custodia competit. *L. 9. ff. eod. L. 21. C. de procurat.* Jure *Saxonico* maritus in mobilia uxoris defunctæ ab intestato succedit.

b) *Gen. c. 3. v. 16. 1 Cor. c. 11. v. 3. 8. sqq. Ephes. c. 5. v. 22.*

c) *L. 14. ff. solut. matrim. L. 31. pr. & §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor. c. 15. 17. C. 33. qu. 5.* An idem de jure Naturæ? dubito: Nam ratio, quam *Aristoteles 8. Eth. c. ult.* adducit, quod natura præstantius imperet inferioribus, hic tanti non est. Manent interim uxores

sui juris & earum subjectio ex *c.* 13. & 19. *C.* 33. *qu.* 5. *it.* 1 *Cor. c.* 11. *v.* 7. male deducitur.

d) Nam tale pactum non solum contra bonos mores foret, sed & contra divinam voluntatem adeoque nullum & irritum. *L.* 5. *pr. ff. de pact. dotal.*

e) *Nov.* 117. *c.* 8. & 14. quæ etiam ad custodiam & ligationem in domo sua, ad jejunia salutaria extenditur, idque non solum in uxoribus clericorum, *ex c.* 10. *C.* 33. *qu.* 2. sed & laicorum obtinere puto, dummodo nihil detrahat magistratus auctoritati. Vile tamen & injuriosum est, uxorem absque sufficienti causa verberare ac coërcere.

f) Quæ pro re nata dictatur & arbitraria est, pecuniaria scilicet, carceris, relegationis, vel etiam fustigationis. *Carpz. Prax. Crim. qu.* 12. *n.* 46. *sqq.*

§. IV.

riti one- Mariti onera, ex eo, quod caput dicatur, hæc sunt: tenetur uxorem defendere: a) alere eam & nutrire: b) res ejus administrare: c) ægrotam curare

rare: mortuam sepelire, d) si non habeat, quo de suo humari queat: e) omnia generaliter onera matrimonii sustinere: f) apud *Saxones* curam uxoris suscipere, ita, ut sit perpetuus atque legitimus curator, eoque nomine uxori contrahenti præstet consensum, aliaque omnia agat, quæ curatoris officium postulant. g)

a) *L. 2. ff. de injur. L. 2. C. eod. add. §. 2. J. eod.* ubi ita eleganter: *defendi uxores a viris, non viros ab uxoribus, æquum est.*

b) *Nov. 22. c. 18. c. 11. dist. 31.*

c) *L. 9. ff. de jur. dot.*

d) Idque secundum dotis quantitatem *L. 22. §. 8. ff. solut. matrim. L. 22. ff. de religios. L. 27. ff. eod.* quæ si omiserit maritus, dote & omnibus aliis lucris ab uxore venientibus privatur. *Carpz. P. III. Constit. 26. def. 5.*

e) Quilibet enim de suo est funerandus, hinc & uxor de dote *L. 18. 19. ff. de religios.* Quodsi nulla dos esset, aut pater hujus mulieris, aut ejus heres funeris im-

penſas præſtat: quodſi nec heres adſit, nec pater ſolvendo amplius exiſtat, maritus, in quantum facere poteſt, obligatur, ne injuria ejus videatur, quondam uxorem ejus inſepultam relinqui. *L. 28. ff. de religioſ.*

f) arg. *L. 22. §. 8. ff. ſolut. matrim.*

g) Hæc cura poſt thori conjugalis ingreſſum incumbit. *Land-R. Lib. I. art. 31. & 45. P. II. Conſtit. El. 15. Deciſ. El. 24.*

§. V.

Effectus uproprii. Uxori proprius eſt nuptiarum contractarum effectus, ut illa ſtatim marito ſubjiciatur. a) Quamvis uxori omne imperium omnisque poteſtas cum marito familiam dirigendi haud poſſit denegari. b) Interim uxor marito reverentiam & obſequium exhibeat: c) operas, tamen non ancillares ſive ſerviles præſtet: d) ſequatur proinde ſtatum, e) dignitatem, f) forum, g) & domicilium h) mariti.

a) Hoc patet ex §. 3. *h. cap.*

b) Quod

b) Quod & divinæ voluntati & legibus humanis conveniens est. Uxor enim ab ipso Deo, ut socia sit, est creata *Gen. c. 2. v.* 18. & facta cum marito una caro *d. c. 2. v. 24. Matth. c.* 19. *v.* 4. Sicuti Christus dilexit ecclesiam, ita, *Paulus* vult, ut mariti diligant uxores suas *Ephes. c.* 5. *v.* 25. Porro mariti jubentur cohabitare uxoribus cum ratione 1 *Petr. c.* 3. *v.* 7. Tandem in *L.* 4. *C. de crim. expil. hered.* uxor socia dicitur rei humanæ atque divinæ domus. Omne tamen, quod uxoribus conceditur, imperium familiam solum, non maritum respicit.

c) 1 *Petr. c.* 3. *v.* 5. 6. *L.* 14. *§.* 1. *ff. solut. matrim. L. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act.*

d) *L.* 48. *ff. de oper. libert.* Quod serviles operæ hic excludantur, ex eo apparet, quod Leges & ipsa fere natura uxores & servas voluerit esse distinctas. Quales vero operæ, quæ multiplices sunt, ab uxore sint præstandæ, fusius tradit *Stryk. in Us. Mod. tit. de Rit. nupt.* §. 50. *sqq.*

e) Etenim transit in familiam & nomen mariti. *L.* 195. §. *f. ff. de V. S.*

f) *L.* 8. *ff. de senator. L.* 9. *C. de in-*

col. L. 13. *C. de dignitat.* ubi ita imperator: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus.*

g) *L.* 65. *ff. de Judic. L.* 19. *ff. de jurisdict. L.* 38. §. 3. *ff. ad municipal. L. un. C. de mulier. L.* 13. *C. de dignit.* quod & hodie observatur.

h) *d. L.* 65. *ff. de judic.*

§. VI.

actio ex justis nuptiis emanans.

Ex justis nuptiis seu obligatione conjugali oritur actio, quam præjudicialem vocant. a) Datur eadem utrique conjugum adversus se invicem, ad jura jam recensita, si alteri ab altero forsan denegata fuerint, persequenda. b) Media quoque possessoria ex matrimonio competunt. c)

a) *Schilter in Instit. Jur. Canon. Lib. II. tit.* 11. §. 14. *Struv. Jurispr. forens. Lib. I. tit.* 7. §. 9.

b) *arg. L.* 3. §. 4. *ff. de lib. agnos. L.* 1. §. 2. *ff. de rei vind.*

c) *c.* 8. *X. de restit. spoliat.* ubi viro, legi-

legitimam desponsationem & copulam probanti, mulier restitui debet.

§. VII.

Injustæ nuptiæ pœnam expectant, graviorem nefariæ atque incestæ, mitiorem inutiles. Generalis pœna hic obtinet, qua nullum intelligitur matrimonium, a) nulla dos, nec propter nuptias donatio; b) liberi ex ejusmodi coitu non sunt in patria potestate, nec succedunt: c) Pœna specialis, latitudinem cognationis respiciens, hæc est: in incestu juris gentium privatio cinguli seu dignitatis, confiscatio bonorum & relegatio cum corporis castigatione, si vilis fuerit persona: d) in incestu juris civilis arbitraria. e) Jus Saxonicum in linea recta consanguinitatis fœminæ viroque gladium, affinitatis autem fustigationem & perpetuam relegationem dictitat: f) in linea collaterali consanguineorum primum & secundum gradum lineæ inæqualis, affinium vero primum gradum virgarum cæsione & perpetua relegatione, reliquos mitius coërcet. g) Reli-

Injustarum nuptiarum pœnæ.

quæ nuptiarum inutilium ſpecies arbitrarie puniuntur.

a) *L. 5. C. de Legib. §. 12. J. de nupt. c. 52. de Reg. Jur. in 6to.*

b) *L. 3. ff. de jure dot. L. 52. ff. de Rit. nupt.*

c) *§. 12. J. de nupt. neque* aluntur liberi, ex coitu damnato nati Auth. *Ex complexu. C. de inceſt. nupt.* Ex æquitate tamen canonica his liberis alimenta debentur. *c. 5. X. de eo, qui duxit, quam polluit.* Aliud quoque eſt, ſi matrimonium errore contractum, ubi, ſi parentes errore cognito ab invicem abſtinuerint, liberi reputantur legitimi. *L. 4. C. de inceſt. nupt.*

d) *Avth. Inceſtas C. de inceſt. nupt. Nov. 12. c. 1.* Peinl. Halß-Ger. Ordnung *art. 117.*

e) *arg. L. 11. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adult. L. 5. ff. de pœn.*

f) *Conſt. El. 22. & 24. P. IV.*

g) *Conſt. El. all. 24. P. IV. C. S. R. G. tit.* Welchen Perſonen ſich in Ehegelöbniß einzulaſſen verbothen. §. Erſtlich *& ſqq.* Ehe-Ordn. *Punct. 2. §. 1.*

FINIS.

Mo-

Modus allegandi
Jus Canonicum & Civile Romanum.

Jus Canonicum dispescitur in duas partes, DECRETVM scilicet & DECRETALES.

I. DECRETVM tanquam collectio ex canonibus Conciliorum & sententiis patrum, dividitur in Distinctiones, Causas & Tractat. de Consecratione.

1) *Distinctiones* suos canones comprehendunt, quas ordine inverso sic allegamus:

c. 2. d. 4. i. e. Canone 2. distinctione 4.

2) *Causæ* continent quæstiones, hæ autem canones, & ita citantur:

c. 2. C. 30. qu. 1. i. e. Canone 2. Causa 30. quæstione 1.

Notetur: Causæ 33. quæst. 3. insertus est

est Tractatus de Pœnitentia, 7. speciales distinctiones canonesque habens. Allegantur ita: can. 3. de Pœnitent. dist. 5.

3) *Tractatus de Consecratione* divisus est in distinctiones, hae in canones, cujus allegatio fit, v.g. c. 4. d. 2. de consecrat. i. e. canone 4. distinctione 2. de Consecratione.

II. DECRETALES epistolæ pontificum a diversis auctoribus recipiunt divisionem:

1) Gregorii IX. dividuntur in V. libros, libri in titulos, tituli in capita. Allegationis ratio hæc est: e. g. c. 6. X. de Jurejur. i. e. capite 6. Extra. de jurejurando:

Not. X. significat Extra, & ideo ponitur, quia Decretales alio nomine Extra vocantur.

2) Bonifacii VIII. librum VItum Decretalium constituentes abeunt pari modo in V. libros, hi in titulos & tituli in capita.

capita. Allegantur: c. 2. de reſcript. in 6to i. e. capite 2. de reſcriptis in ſexto.

3) Clementis V. libros V. habent itemque titulos & capita; ſed ita fit allegatio: Cl. Sæpe 2. de V. S. i. e. Clementina Sæpe 2. de Verborum Significatione.

Not. Vox Sæpe eſt initium epiſtolæ.

4) Extravagantes *vel* Johannis XXII. titulos & capita complectuntur. Allegantur: Extravag. Dierum. de pœnis. *vel* Communes diverſorum paparum continent libros, titulos & capita. Allegantur: Extravag. Commun. Etſi. de Jurejurando.

Jus Civile Romanum,

Quatuor agnoſcit partes, INSTITVTIONES, PANDECTAS, CODICEM & NOVELLAS.

INSTITVTIONES comprehendunt libros, titulos & paragraphos, quarum allegatio ita fit: §. 2. J. de Nupt. lege §. 2. Inſtitutionum de Nuptiis.

Note-

Notetur, quod §. in ordine primus, in toto corpore juris civilis nominetur principium & per pr. scribi soleat.

PANDECTAE seu DIGESTA libros, titulos, leges & paragraphos habent. Allegatio hæc est: L. 6. §. 1. ff. (seu π. s. D.) de R. V. i. e. Lege 6. paragr. 1. Pandectarum (s. Digestorum) de Rei Vindicatione.

CODEX æque ac Pandectæ dividitur & allegatur hunc in modum: L. 6. §. 1. C. de his qui ad eccles. fug. Litera C. denotat Codicem.

NOVELLAE per se & deinde capitibus atque paragraphis distinguuntur. Allegantur: N. s. Nov. 118. c. 3. §. fin.



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0146
DFG

N… §. in ordine primus,
…pore juris civilis nomi-
…ipium & per pr. scribi

P… seu DIGESTA libros,
titulo… paragraphos habent.
Alleg… : L. 6. §. 1. ff. (seu π.
f. D.)… e. Lege 6. paragr. 1.
Pande… Digestorum) de Rei
Vindi…

C… ac Pandectæ dividitur
& alle… in modum: L. 6. §. 1.
C. de… eccles. fug. Litera C.
denot…

N… er se & deinde capiti-
bus … raphis distinguuntur.
Alleg… Nov. 118. c. 3. §. fin.

UB Rostock 05 1500
Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727764617/phys_0147
DFG